49920/P

Q. D. J. F. Fq; E. J.

DISPUTATIO JURIDICA
DE
HÆMORRHAGIA VULNERATORUM
Von
Verblutung der Verwundeten

QVAM
EX CONSENSU ET AUTORITATE
MAGNIFICI JCTorum ORDINIS,
IN UNIVERSITATE ROSTOCHIENSI,
PRÆSIDE

DN. JOHANNE JOACHIMO SCHOEPFFERO,

J. U. D. ET PROF. PUBL. SACR. CÆSAR. MAJ.
COM. PALAT. ET CONSISTORII DUCALIS
ASSESSORE GRAVISSIMO,
DOMINO PATRONO AC PRÆCEPTORE
SUO ÆTATEM DEVENERANDO,
IN AUDITORIO MAJORI
PUBLICÆ DISQVISITIONI SUBMITTIT
AD D. JULII ANNO M. DC.XCVI.
AUTOR ET RESPONDENS,

LEONHARD GEORG von Stötteroggen/
PATRICIUS NOBILIS-LUNEBURGENSIS.

ROSTOCHII TYPIS JOH. WEPPLINGII, UNIV. TYPOGR.

318898

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE

PRÆFAMEN.

COgnationem inter homines natura constituit, magnamqve similitudinem, teste Florentino & Cicerone, Hinc beneficio affici hominem, hominis interest, docente Papinian. Ut non possit non nefas esse, si contra naturam homo homini insidietur, in cujus mutuum adjutorium generatus. Post lapsum vero Adami malitia hominum novis, in dies, crevit accessionibus, tamqve altas egit radices, ut hominem hominis sangvinem sitire dixeris, dum alter in alterius corpus, belluarum more, sævit, sangvinemqve humanum etiam leviſſimis ex causis effundit, ut hac in parte deflenda hominum conditio; qvod, cum cætera ejusdem generis animantia inter se non seviant, soli homines sibi insidientur, brutaqve crudelitate vincant juxta, illud Juvenal.

Sed jam serpentum major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera, qvandō leoni
Fortior eripuit vitam Leo? qvo nemore unquam
Exspiravit aper majoris dentibus apri?
Indica tigris agit rabida cum tigride pacem
Perpetuam: sævis inter se convenit ursis.

Aſt homini ferrum lethale incude nefanda
Produxiſſe parum eſt:

Gladio hinc ultore Deus, qva eſt, limmenſa benignitate, vitam corpusqve hominis, adverſus hoſtiles violentasqve malevolorum aggreſſiones munivit, totiqve generi humano præcepit ut ſangvis effundatur ejus, qvi ſangvinem effudit, omnemqve miſericordiam, ceu intempeſtivam erga homicidam ſummus damnavit legislator. Infinitas tamen Dd. Schola invenit exceptiones, qvibus homicidæ tollunt ſupplicium, ut decem fures freqventius patibulo, qvam unicum homicidam capitis pœna affici dixeris. Ex recentiorum Dd. traditis freqvens defenſorum recurſus ad exceptionem hanc: Vulneratum mortuum fuiſſe non ex vulnere lethali, ſed ex hæmorrhagia der Menſch habe ſich verblutet oder zu tode gebluthet) adeoqve mortem per accidens ſecutam eſſe credunt. vid. Carpzov. *Qveſt.* 26. *n.* 46. *in Reſp. ad Sereniſſ. Elect. Saxon.* ibi: Denn es wohl ſeyn können / das der Verwundete aus andern Zufällen / als Schwehrer-Noth / Schlack / Verblutung / &c. geſtorben. Qvæ materia cum in homicidiis admodum freqvens, parcè tamen à JCtis tractata ſit, animum movit, ut in hujus exceptionis fundamenta altius inqviſiverim. Aggreſſus proinde ſum materiam maximè practicabilem atqve qvotidianam, in qva non de lana caprina, non de glande legenda, vel aqva qvotidiana &c. Sed de ipſo ſanguine hominis, nobiliſſimæ ac ad imaginem omnipotentis DEI conditæ creaturæ, effundendo agitur, in qva nulla datur reſtitutio capitali ſententia læſis, ſi ſententia executioni jam fuerit mandata. Horis ergo ſucciſivis hanc qvalem qvalem conſcripſi Diſſertationem, in qva ſi qvædam irrepſerint, qvæ minus videbuntur grata, erroris veniam ob iter præſentiſſimum, indeqve provenientia multifaria negotia, ſummamqve materiæ difficultatem, qva decet humanitate expeto, atqve IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, cum Imperatore Juſtiniano, initium opellæ facio. Sit ergo.

CA-

CAPUT. I.

DE HÆMORRHAGIA VULNERATORUM IN GENERE

SUMMARIA.

HÆmorrhagia est terminus Medicis frequentior n. 1.
Hæmorrhagiæ etymologia n. 2.
ejus homonymia n. 3. & 4.
ejus synonymia n. 5
ejus Definitio n. 6.
ejus Divisio: & quæ sit critica n. 7. & 8.
quæ symptomatica n. 9.
oritur vel ex causis internis 10.
vel ex causis externis n. 11.
Vulneratus quis dicatur n. 12.
Vulnus in genere quid? n. 13.
Hæmorrhagia oritur vel ex vulneratione proprii corporis n. 14.
Autocheiriam Jure Romano permissam esse aliqui credunt n. 15.
Negativa verior n. 16. & 17.
Certa tamen pœna in propricidas statuta non est n. 18. & 19.
Et propricidæ subsistit testamentū 20.
Improbatur prætensio carnificum, qui sibi ea adscribunt, quæ gladio attingunt in loco propricidij n. 21.
Jure Can. & ex consuetudine propricidis honesta sepultura denegatur n. 22. & 23.
Limitatur nisi impotentia animi probetur n. 24. & 25.
Quandoque canina sepultura etiam mitigatur n. 26.
Si quis reperiatur occisus, non præsumitur Autocheiria n. 27.
Attentatum propricidium puniri potest. n. 28. & 29.
Nos tractamus in præsens de vulneratis ab alijs n. 30.
Quid nobis hæmorrhagia vulneratorum n. 31.
Per tertium intelligitur homo doli vel culpæ capax n. 32.
Adeoq; excluditur pauperies n. 33.
Personas delictum admittentes vel mortem passas non consideramus n. 34.
In vivis conspicitur hæmorrhagia quandoq; & in mortuis 35. & 36.
Quod probatur exēplis n. 37. 38. & 39.
Rationes remissivè adducuntur n. 40, 41. & 42.
Exempla adducuntur cruentationis diu post hominis mortem ortæ n. 43. seqq.
Ossa quoque sanguinem emiserunt. 47. & 48.
Motu corporis cadaver homicidam indicavit n. 49.
Hæmorrhagiam mortuorum indicium facere ad torturam, multi statuunt. n. 52.
Contrarium tamen verius n. 53.
Cruentationem plane attendendam non esse probatur 54. & 55. seqq.
Nec salva conscientia adhiberi posse n. 59. seqq.

Hæmorrha-

Hæmorrhagia terminus est Medicis frequentior, JCtis tamen non penitus incognitus vid. Goth. *in not. d. l. 15. ff. d. Ædil. Edict. lit. mihi x.* vid. JCtos
1. Argentor. in eleg. Resp. quod exhibet Joh. Otto Tabor *in Racemat. extraord. ad tit. d. Crimin. Stellionat. th. 36. in resolut. qv. 1. circa fin.* ibi: *Cum notum sit, quosdam valde faciles esse, ad narium profluvium & hæmorrhagiam.*

2. Natales suos Græcis fert acceptos, composita enim à voce αἷμα sanguis, & ῥήγνυμι rumpo, ita ut Hæmorrhagia sit sanguinis eruptio. Vel si mavis, composita à voce αἷμα & ῥέα fluo, ut hæmorrhagia sit fluxus sanguinis.

3. Hæmmorhagia autem sumitur vel generaliter, pro qvavis eruptione, vel fluxu sanguinis ex venis & arteriis, Vel specialiter pro eruptione sanguinis, in certa corporis parte, Hippocrati enim hæmorrhagia absolute posita, non addito partis nomine, qvæ sanguinem fundit, idem denotat, qvod hæmorrhagia narium, teste Joh. Gorræo *in defin. Medit. sub hac voce.* Aliis hæmorrhagiâ laborare in specie mulieres dicuntur, qvando pudenda continuo sanguinem fundunt. *vid. Matth. vers. 20.* ibi αἱμορροοῦσα ἔτη,
4. qvæ sanguinis profluvio laboraverat. Et Hæmmorroides indicant sanguinis effluvium per venas, qvæ in ano sunt. Germ. **wenn einem die güldene Ader flüsset.** Nos sumimus in sensu generaliori, pro graviori tamẽ sangvis effluvio.

5. Hæmorrhagia enim idem nobis denotat, qvod gravis sanguinis fluxus seu profluvium & eruptio sanguinis germanis **ein starckes Bluhten oder Verbluhten**/ Vox enim

enim Verbluthen germanis non tantum denotat, hominem mortuum esse sanguinis vehementi profluvio, der Mensch hat sich Verbluhtet oder zu tode Gebluthet / sed etiam hominem debilem, per gravem hæmorrhagiam der gar sehr geblutet / oder sich Verbluhtet dicere enim solemus der Mensch hat sich schon sehr verbluhtet: hoc est: insignem sanguinis copiam effudit.

Est ergo Hæmorrhagia sanguinis profluvium ex venis vel arteriis ruptis. 6. In venis enim & arteriis omnis sanguinis copia fertur, observatâque à recentioribus anatomicis circulatione sanguinis, ad oculum dilucidè demonstrant, omnem sanguinis copiam per arterias à corde ad partes propelli, & per venas ad idem centrum revehi. Violatis vero per rapturam vasis his sanguiferis hæmorrhagia oritur.

Dividitur Hæmorrhagia à medicis, in Criticam & Symtomaticam. Joh. Gorræus *in def. Medic. sub hac voce* Critica est, qvæ sanitati inservit, qvo spectat venæ & qvandoqve arteriæ incisio das Aderlassen / cujus singulares regulas vel cautelas astrologi in calendariis commendare solent, sed rectius à medicis experientissimis addiscuntur, qvibus hæc tanquam sua relinqvimus & tribuimus. Huc tamen refero Menses mulierum, qvæ sanitatis favore lunare solvunt tributum sanguinis profluvio, 8. ita ut sana in jure non dicatur, qvæ in mense non purgatur, juxta Paulum in *l. Quæ bis 15. ff. d. Ædil. Edict.* nisi per ætatem accidat *d. l.* qvando vero per ætatem menstrua non experiatur, aliis determinandum relinqvo vid. Zach. *in Qv. Med. legal. L. 2. Qv. 13. n. 25. & L. 1. Qv. 9. n. 57. seqq.*

Symtomatica hæmorrhagia est qvæ est sanitati adversa, qvæ ut plurimum accidit. Gorræus *d. l.* maximè si hæmorrhagiam intelligamus gravem, ut nos hoc loco 9.

Hæc

10. Hæc hæmorrhagia oritur ex cauſis internis vel externis. Internis, ſi vel ſanguinis motu impetuoſiori vaſa ſanguifera rumpantur, ut in Apoplexia qvam ſanguineam vocant, vel in aliis hæmorrhagiis narium, uteri, aut ſi ex acredine cum eroſione aperiantur, ut freqventius in hæmoptyſi der Blutſtürtzung oder Speyung. in dyſenteria &c. De qvibus hæmorrhagiis nobis ſermo non eſt, ſed eas Medicis curandas relinqvimus.

11. Externis qvando cæſim vel punctim, contuſionibus vel ſclopetorum violentiâ vaſa ſanguinem vehentia lacerantur vel diſſecantur, qvæ ſub vulnerum nomine venire, & inter morbos ſolutæ unitatis partium mollium à cauſis externis numerari ſolent.

12. Ex dictis haud obſcure colligitur, qvid nobis in rubro vox Vulneratorum, ſcil. qvi externa aliqua vi diſſolutionem continui in venis vel arteriis paſſi ſunt, ut ut enim nulla contingere poſſit hæmorrhagia ſine ruptura venarum, vel arteriarum, adeoque hæmorrhagia vulnerationem neceſſario ſupponat, in ſe tamen diſtincta ſunt, vulneratio, & ex vulneratione ſecuta hæmorrhagia, ideoque diſtinctis qvoqve verbis & terminis explicanda.

13. Et licet vulnus, in genere denotet in corpore humano omnem ſolutionem continui, ſive ex cauſis oriatur internis, ſive externis freqventius tamen denotat ſolutionem continui, qvæ fit ex cauſis externis, veluti qvodam inſtrumento. Sic & latini per verbum vulneratus eſt, & Germani er iſt verwundet ut plurimum intelligunt talem, cui vi externa vulnus aliqvod eſt illatum, & in hac ſignificatione in præſenti diſſertatione vox Vulneratorum ſupponitur.

14. Hæc vero vulnera, ex qvibus hæmorrhagia promanat, infliguntur vel ab homine ſibi ipſi, vel à tertio. Sibi ipſi vio-

violenter qvis causatur hæmorrhagiã, si instrumento qvodam venas vel arterias suas disrumpat, v. g. si cultro venas vel arterias gulæ dissecet wenn er ihm selbst die Kehle abschneidet / qvo sanguinem, & cum eo vitam fundat, qvod si dolose faciat, propicida & homicida est. 15.

Eqvidem multi Dd. volunt autocheiriam jure civili Romano esse licitam, qvod ex *l. 9. §. 7. ff. d. Pecul.* prolixe probare conatur Erasm. Ungepaur *Exerc. justin. 1. Qu. 13. in Ajo.* Finckelth *Obs. 43. n. 3.* ubi ex tædio vitæ, impatientia valetudinis, dolore corporis, pudore æris alieni, luctu aliisq; causis avtocheiriam Jure Rom. permissam credit; Talem impiam tamen sententiam alienam credimus à scriptis JCtorum Joh. Volckm. Bechman *Exerc. 1. ad ff. pag. 30. per* l. 3. §. 6. *ff. d. bon. eor. ibi: si sine causa sibi manus intulit, puniendus est: qvi enim sibi non pepercit, multo minus aliis parcet &c.* Qvæ ratio generalis est repetita in *l. Cum autem 23. §. 3. ff. d. Ædilit. Edict.* Ubi malus servus creditus est, qui sibi ipsi mortem inferre voluit, tanqvam non nihil in alium ausurus, qvi hoc adversus se ausus est. juncta *l. ult. pr. ibi: facti sceleritatem ff. d. bon. damnat.* Philosophis tamen quibusdam hæc adscribenda videtur sententia, ad ductum *l. Si qvis, 6. §. 7. ibi: ut quidam Philosophi ff. d. Injust rupt. irrit.* add. Seneca *Epist. 69.* qvi exercete, *inqvit*, ut mortem & excipias, & si ita res svadebit accersas: interest nihil, an illa ad nos veniat, an ad illam nos. Certa tamen pœna jure Romano in propricidas non est statuta, nisi de gravi qvodam crimine fuerint accusati, sic enim præsumuntur crimen confessi esse, adeoqve bona fisco tribuuntur, si scil. tale sit crimen ex qvo accusati, Condemnati, bonis privandi sunt. *l. ult. pr. & §. seq. ff. d. bon. eor.* qvæ distinctio & jure Carolino repetita *Art. 135.* Si accusatus de tali crimine, in qvo condemnatum seqvi- 16. 17. 18. 19.

tur confiscatio bonorum, & accusatus si metu pœnæ promeritæ, se ipsum occidat, bona sunt confiscanda, extra hunc casum, omnis cessat confiscatio. *d. Art. 135. Const. Crim.* omnisqve consuetudo in contrarium damnatur.

10. Ex qvo *art. 135.* colligo: Si qvis solenne conficiat testamentum, eoqve peracto, novaculâ venas & arterias gulæ præscindat, testamentum cruore vitæ, morteq; voluntaria confirmaturus, testamentum ejus valere, secundum JCtos, animam vero ire ad inferos, secundum Theologos, ut ex Bald. & Reusner. refert Finckelt. *Obs. 43. n. 30.* Carpz. *p. 3. C. 6. d. vlt. & ab his alleg. præj.*

12. Ulterius colligo ex *d. art. 135.* Improbari prætensionem carnificum, qvi ut sua vindicant, qvicqvid in loco perpetrati propricidii gladio attingere possunt, so weit sie mit dem Schwert reichen können/ In *dict.* enim *art.* omnis consvetudo improbatur, quæ propricidæ bona fisco addicit, seu ærario principis, Carpz. *L. 6. Resp. 101.* ubi duplex Resp. Scabinorum Lipsiens. contra carnifices adducit. Illustris Dn. Stryck. Patronus ac Præceptor ad cineres colendus in tract. *d. Jur. sens. Disp. 7. cap. 3. n. 39.* Bechman *Exerc. 1. ad ff. n. 88.*

22. Ut ut vero in jure Romano & Const. Crim. nulla certa pœna statuta sit in propricidas, jure Canonico tamen honesta sepultura iis denegatur c. *placuit. 12. C. 23. qv. 5.* (excipiunt tamen casum, si castitas periclitetur *c. Non est nostrum* 11. C. 23. *qv. 5.* qvod brevitatis studio examinare non licet.)

25. In praxi propricidis non tantum honesta sepultura denegatur, sed canina seu asinina dictitatur Ziegler. *ad Lancell. Lib. 2. Tit. 24. §. 9. ad vb. qui sibi mortem* Hoc est cadaver ejus non

non per ostium effertur, sed subter limina domus extrahi tur, indignus enim censetur propricida, qvi eodem ostio efferatur, ex qvo prius vivens valensqve exierat, vel si in parte domus superiori venas sibi dolose præscidit, ex fenestra, per carnificem, dejicitur, & ab hoc, vel sub patibulo, vel in loco cadaveribus destinato, sepelitur Carpz. *J. Consist L. 2. def. 376.* Ziegler. *ad Lancell. ad d. §. 9. ad verb. ecclesiastice sepulturæ* Coler. *Dec. 167* Heig. *p. 2. qu. 36. n.* 64. At si ex impotentia animi mortem præripuerit, honesta sepultura ei deneganda non est Heig *d. qv. 36 n. 74.* Finkelth. *Obs. 43 n. 16.* Eo tamen casu aliqvid de solitis ceremoniis remitti posse, vult *Carpz. L. 2. def. 277.* qvo differentia observetur inter eos, qvi laudabilem vitæ exitum faciunt & qvi alienati qvasi à se, ex hac vita migrant Ziegler. *ad Lancell. L. 4. Tit. 19. §. 8. in not.* Mihi tamen salva aliorum autoritate, verior ten. tentia videtur, si constet hominem sanæ mentis non fuisse, consuetis ceremoniis terræ mandandum esse, cum interdictio ceremoniarum consuetarum speciem pœnæ præ se ferat, qvæ, non existente delicto, locum habere non potest. Hoc certum si propricidæ cognati se offerant ad probationem, qvod ex impotentia animi fata accelerave rit, asinina sepultura decernenda non sit *arg. l. ult. §. 8. in fin ff. d. bon. eor.* Imo sæpius canina sepultura qvodammodo mitigari solet, ut probant præjud. adducta à Carpz. *L. 2. d. 376* qvale exemplum benignioris pœnæ & hoc Rostochium anno 1695. d. 13. Julii vidit. 24. 25. 26.

Finge autem Titium repertum fuisse venis gulæ resectis, & hæmorrhagia extinctum, novaculamque sanguine madentem prope occisum jacuisse, an inhonesta sepultura afficiendus est? Resp. repertus vulneratus & mortuus non præsumitur, qvod se ipsum occiderit Ziegler, *ad Lancell. L. 2. Tit. 24. §. 9. ad verba; qvi sibi mortem. in fin.* 27.

Covarruv. *Var. Resol. L. 2. T. 2. cap. 1. n. 11. circa fin. vers. His accedit.* Feltman. *d. Cadav. Inspic. cap. 20. n. 6* (*qui cap. 21. d.* præsumtionibus latè agit) Harpr. *ad §. 3. J d. J. & J. n. 16. in fin. ibiqu. alleg.* licet incarceratus reperiatur occisus Heig. *qu. 36. n. 34.* Brunn. *ad tit. C. de bon. eor. qvi sibi mortem n. 8.*

28. Verum qvid si gladio vel cultro se occidere volens grandiores ramos gulæ, vel alterius partis corporis non læserit, ita ut hæmorrhagiam opera medicorum repressérit, vulnusqve curaverit; an propricidium tentans puniri poteſt? negativa qvidem ex eo videbatur probabilis, qvod nulli intulerit injuriam, sibi ipsi enim injuriam intulisse non videtur 29. *arg. l. 1. §. 5. in fin. ff. de injur.* Affirmativa tamen fortiori nititur fundamento, cum utiqve injurius sit in rempubl. qvi homicidium tentat *arg. l. congruit. 13. pr. ff. d. offic. Præsid.* qvid enim in alios ausurus non præsumatur, qvi hoc adversus se ausus est *l. cum autem 23. §. 3. ff. d. Ædil. edict.* cum non sit dominus membrorum *l. 13. pr. ff. ad L. Aquil.* Imo militi tale qvid audenti, sine ulla causa, capitis pœna dictitata est *l. si qvis aliquid 38. §. 12. ff. de pœn.* in aliis vero pœna est arbitraria Carpz. *qv. 2. n. 44.* Joh. Otto Tabor. *de Conatu cap. 4. th. 20.* Gomez. *Var. resol. Tom. 3.* 30. *cap. 3. n. 14.* Ne vero nimium excurram in eos, qui sibi ipsis venas & arterias vulnerant, hæmorrhagiamqve promovent, eos relinqvo; cum hæmorrhagiã à se ipsis vulnera torum, hac vice non constituam pro objecto meæ dissertationis, sed illos vulneratos, qvi aliorum dolo, vel culpa vulnerati, ut hæmorrhagia ex vulnere promanans, vel mortem, vel grave damnum vulneratis intulerit, lustrabimus.

31. Est enim nobis Hæmorrhagia vulneratorum *profluvium sangvinis, ex venis & arteriis dolo vel culpa tertii vulneratis, ortum, ex qvo vulnerato vel mors, vel aliud grave damnum imminet.* Circa hanc vulneratorum hæmorrhagiam

qvid

qvid juris sit, *Cap. 2. & seqq.* lustrare lubet. Per tertium 32.
vero hic intelligimus hominem, qvi doli vel culpæ capax, ut
alii vulnus inferat, adeoqve supersedemus labori, in investi-
gandis juribus, si brutum alicujus venas vel arterias la-
ceraverit, proprie enim non homicidium, sed pauperies
dici debet Harpr. *ad §. 5. J. d. Publ. judic. n. 6. in fin.* adeoq; 33
nec lustrabimus, an bestia occidi, vel Dominus bestiæ actio-
ne si qvadrupres, vel actione L. Aqviliæ conveniri possit.
vid. Hahn. ad W. *tit. si qvadrupes n. 4. ibiqve præj.* de bove
irritato, qvi anũ cornu ad internecionem usq; petiit, cujus
dominus tamen, abomni actione absolutus fuit. Aliis per-
tractanda relinqvimus, qvid juris, si infantes, ebrii, sum- 34.
me irati, Melancholici, vel summè amantes homicidium
admiserint, & qvæ alias circa personas delictum admitten-
tes, & personas occisas, qvod scil. nulla ratio ætatis, sexus,
conditionis vel religionis habeãtur, prolixè disputari so-
let, sed in sola hæmorrhagia seu fluxu sangvinis brevi-
tatis studium, hac vice, subsistere jubet.

Circa qvam notamus venis arteriisq; vulneratis hæ- 35.
morrhagiam continuo seqvi, & in vasis majoribus, tamdiu
continuare, qvamdiu circulatio sangvinis, nativo calore
promovetur, nisi ob ex hæmorrhagiæ ponatur, cessante,
vero circulatione sanguinis, sistitur qvoqve hæmorrhagia,
qvandoqve tamen accidit in corporibus demortuorum 36.
hæmorhagiam conspici, qvod vulgo credunt tunc accide-
re, qvando homicida in conspectum occisi ducitur, qvid
ergo de hac hæmorrhagia vulneratorum, sed jam mortu-
orum habendum sit, paucis attingam.

Ejusmodi hæmorrhagiam sæpius evenire experientia 37.
rerum magistra testatur, exempla refert Ant. Gomez-
var. resol. tom. 3. c. 13. rubr. d. tort. reor n. 15. Menoch *d.*
A. Jud. qvæst L. 2. Cas. 270. n. 16. seq. Recentiora si exem-

pla desideres, evolve Illustrem JCt. Dn. Strykium *in Tr. d.*
38. *Jur. Sens. Diss. 7. Cap. 3. n. 5.* ubi refert: ex Pomerania, ad facultatem Francofurtensem acta, in puncto infanticidii, transmissa fuisse, exqvibus observatum fuit, dubium fuisse, an mater, an avia infanticidii rea fuerit, hinc utramq; ad cadaver deductam esse, cum vero avia ad cadaver accederet, mox infantis facies integra rubore suffunditur, & ex angulis oculi aliqvod guttæ sanguinis effunduntur, qvod cum videret avia, conscientiæ stimulis ducta, delictum, cum omnibus suis circumstantiis, statim fuit confessa.

39. Recentius exemplum ex actis, ad facultatem Rostochiensem, in puncto infanticidii, contra annam Schmidens à capitulo Havelbergensi, in Febr. hoc ipso anno 1696. transmissis, monstrante Excellentissimo Dn. Præside Patrono ac Præceptore meo sumopere devenerando, observavi, jurato enim deponebant testes es wehren dem Kinde/ da es schon Tod gewest/ wie einem Lebendigen Menschen/ etliche Bluthstroffen/ in præsentz seiner Mutter aus der Nasen
* geflossen. plura exempla refert Carpz. *Qv. 122. n. 35. & 37.*

40. Cujus rei rationes in præsens investigare non lubet, licet alii ad antipathiam alii ad sympathiam confugiant, alii hæmorrhagiam interfecti ad Deum clamare, & interfectorem, coram Deo, justissimo sangvinis vindice, accusare, scelerisqve autorem indicare, & ab eo vindictam expetere autumant, qvo nomine adducunt *Gen. c. 4. v.* 10 ubi Deus, *vox* inqvit, *sangvis fratris tui clamat ad*
41. *me de terra* Et ex *Psalm. 78.* huc trahunt illud: Ultio sanguinis servorum tuorum qvi effusus est, introeat in conspectu tuo gemitus compeditorum. Et ex Propheta *Habacuc c. 2. v. 11. ibi, qvia lapis de pariete clamabit & lignum*

qvod

qvod inter junctur as ædificiorum est, respondebit: Væ qvi edificat civitatem in sanguinibus, & præparat urbem in iniqvitate & ex Matth. *Cap. 23. v. 34.* ibi: *ut veniat super vos omnis sanguis justus, qvi effusus est super terram. Et Apocalyps. 6, v. 10.* ibi: *usqꝫ qvo domine sancte & vere, non judicas & vindicas sanguinem nostrum de his, qvi habitant in terra.* Ex qvibus aliisq; concludunt, sanguini à Deo inditam esse vim postulandi vindictam ab interfectore Alii hujusmodi hæmorrhagiã ex causis naturalibꝫ, præsente & non præsente homicida, sæpiꝫ contingere probant vid: pluribus Excell: Kirchmaieri Præceptoris mei Wittebergensis Singulariter colendi *Disp: de cruentat. cadev.* Eqvidem Lemnius *L. 2. de occult. nat. mirac. cap. 7.* putat id contingere, post aliqvot horarum spatia, sanguine forte nec dum ita concreto. Exempla tamen qvam plurima contrarium probant vid. Harsdörff. *in dem* Schauplatz jammerlich Mordgeschicht / *Hist. 129. §. 4.* Ubi refert occisum per 36. horas, sub cœlo, jacuisse antequam homicidæ ad cadaver ducti fuerint, nihilominus vero in eorum præsentia hæmorhagiam observatam fuisse. Boër *Dec. 166. n. 1.* recenset: puerum à matre occisum octo diebus post, matre eum inspiciente, sanguinem ex naribus emisisse, idemqve testis est, occisum duobus post mensibus exhumatum, sanguinem, homicida supra eum transeunte, emisisse Boër *d. l. n. 1.* similem casum refert Berlich. *part. 4. Concl. 11. n. 74.* qvod suo tempore, in Academia Marpurgensi, Anno 1608. in præsentia trium homicidarum sanguis è cadavere cujusdam rustici occisi, qvi per integrum, mensem in fluvio Lana jacuit emanaverit, qvi deinde torti confessi sunt & omnes gladio puniti.

42.

43.

44.

Verum & post multos annos corpus occisum sanguinem emisisse literarum monumentis traditum, in Hol-

45.

satia

latia enim in civitate Itzehoæ homo repertus exsanguis, cum vero autor cædis investigari non posset, cadaver terræ mandatum, resecta prius manu, qvæ fumo indurata, in facti memoriam asservata fuit, elapsis jam decem annis, homicida intrat conclave, in qvo pendebat manus,
46. qvæ arida & tosta sanguinem stillare cœpit, Hæc senatui Itzehöensi indicantur, suspectus in carcerem ducitur, ac confitetur, se decem ab hinc annis homicidium perpetrasse. Qvem casum plenius descripsit Henricus von Rantzau, potentissimi Daniæ Regis locum tenens, in literis ad D. Chytræum datis.

47. Nec minus curiosum refert exemplum Abraham à Krecwitz *in sylvula Histor. pag. m. 508. & seq.* Nobilis scil. Austriacus cum famulo & canibus tendit Viennam, canibus v. circa sylvam multum latrantibus, famulum mittit ad cognoscendũ, an canes feram bestiam persequantur, famulus redux factus refert, nullam adesse feram, sed canes ex colle aliqvo ossa nonnulla pedibus effodisse, qvæ allata Nobili tradit, qvi eorum albedinem admiratus, ossa hæc asservari, & fabro cultrario Viennæ tradi
48. mandat, quo manubria cultellorum inde præparet. Famulus jussa exeqvitur, indicatoqve fabro cultrario ossa porrigit, qvæ cum faber apprehenderet, sanguinem emittere incipiunt, qvo viso & faber & famulus exhorrescunt, servus visa domino, dominus audita Magistratui indicat, qvi serio fabrum admonet de occulta veritate confitenda, qui fatetur se ante viginti annos, in dicta sylva, spe lucri, comitem suum interfeciſſe, cujus nunc ossa ultionem poscere videantur. Eandem historiam posteritati commendat Marcus Marci à Krönland *Philos. vet. restit. p. 4. sect. 1. subject. 3.*

49. Imo exempla narrantur, non tantum cadavera sanguinem

guinem emisisse, sed etiam motu corporis homicidas indicasse, qvale ex Joseph. Sesse. *Decis. Aragon. III. n. 16.* refert Harsdörf. in dem Schauplatz jämmerl. Mordgesch. *Hist. 129. §. 3.* qvod pastor ovium, cui nomen Laurentius Borres à qvibusdam nobilibus vicinis occisus sit, cujus cadaver qvartò demum die post facinus, repertum fuit, cum vero alter ex suspectis nobilibus ad cadaver duceretur, cadaver dextra monstravit vulnus, eâdemqve vulnus dantem indicavit.

Simile notatu dignum exemplum refert Cantipratanus *L. 2. Mirac. 29. §. 22.* In loco qvodam ad Rhenum sito, cui nomen Pforzheim, vetulam diaboli instrumentum puellam septem annorum, utroqve parente orbatam rapuisse, eamqve judæis vendidisse, qvi puellæ, circa omnes membrorum junctúras, cultellis vulnera inflixerunt, ut sanguinem diligentissimè expressum accurate linteis exciperent. Sanguine ex toto corpore satis coacto, cadaver affixis lapidibus in fluvium projiciunt, post aliqvod dies, piscatores cadaver inveniunt, manu ad cœlum erecta, qvod in oppidum fertur. Scelere in vulgus sparso, incolæ indigne tantum nefas ferentes, clamitant: sine dubio à Judæis commissum esse. Aderat tum in vicinia Marchio de Baden, qvi audito piaculo proparat ad corpus exsangue, & statim cadaver erectum residens ad Principem manus tetendit, qvasi sanguinis vindictam, & misericordiam imploraret, post horam vero dimidiam se deposuit, defuncti more sopinum, ad cædis autorem explorandum adducti qvoqve judæi; confestim recruduerunt omnia vulnera corporis, ac in horrendæ necis testimonium copiosum sanguinem emiserunt. Qvæ omnia si vera, ut vera scribuntur, causis naturalibus adscribi non possunt. 50. 51.

52. Ne tamen in his recenſendis longior ſim, ad juridica revertor, & qværo, an talis hæmorrhagia operetur indicium ad torturam? qvod multi affirm. Cruſ. *d. Jndic. part. 3. cap. 28. n. 162.* ubi multos alleg. Carr. *in pract. Tr. 2. d. Indic. & tor. indic. 27. n. 2.* Reyger. *in theſ. jur. ſub. voc. ſanguis n. 6.* Berlich. *p. 4. Concl. 11. 74.* Ægid. Boſſ. *in Crimin. tit. de Homic. n. 105. & n. 106.* ibi. *Cui addo*, inqvit, *quod ad cognoſcendum an infans fuerit ſuffocatus à nutrice forte dormiente, vel à ſolis linteaminibus &c. datur iſte infans in gremio fœminæ, & ubi cadaver ibi poſitum emittit ex nare, vel ore, ſanguinem, magnum & ſufficiens eſt indicium, qvod fuerit ab ea ſuffocatus, ubi non emittit ſanguinem ceſſat præſumtio culpæ contra eam, & ſemper uſu compertum eſt, qvod exit ſanguis, ubi ipſa fuerit, aliter non, & hoc experimentum vidit uxor mea.*

53. Contraria tamen ſententia & verior, & receptior, qvod ſcil fluxus ſanguinis non præbeat indicium ad torturam, qvam defendit & præj. confirmat Carpz. Qv. *122. n. 30. ſeqq. & n. 35.* ibi.: Ob nun wohl darauf der entleibte todte Cörper / ſo albereit gar kalt und erſtarret geweſen / wie derſelbe für Ge-Gericht getragen / und die drey gefangene vor ihm geſtanden / aber ihn nicht angreiffen wollen / an dem empfangenen Schaden von neuen auch gar friſch Bluht zu bluthen angefangen / und ſo lange die Gefangene dabey geſtanden gebluthet / ungeachtet das Bluth / ſo auß der Wunden gelauffen / | abgewiſchet worden / welches auch hernach / ſo bald die Gefangenen vor gerichte abgetreten / ſich verſtopffet. &c. So mag doch derowegen in Ermangelung anderer kräfftigen indicien wieder die 3. Gefangene noch zur Zeit nichts peinliches vorgenommen werden / &c. Eandemque ſententiam pluribus probat Finckelt. *Obſ. 68. n. 6. ſeqq.* Theodor. *Coll. Crim. cap. 9. aph. 9. n. 21. ibiqve alleg.* Gomez. *tom. 3. var. reſol. cap. 13. n. 15.*

Zœſ.

Zoes. *ad ff. tit. d. Quæstion. n. 37. 38.* Brunn. *in proc. Inqvis. cap. 7. n. 30. in fin.* Bechman *T. 2. exerc. 11. tit. d. Ques. Observ. pract. 14.*

An vero ejusmodi hæmorrhagia cadaveris, in præ- 54.
sentia suspecti orta, aliquid operetur, si cum aliis indiciis con-
currat, altioris videtur esse indaginis; plerique Excell. Dd. affir-
mativam amplectuntur, quorum in numero Carpz. *Qu. 122. n.*
36. Brunnem. *d. c. 7. n. 30. in fin.* Illustris D. Stryk. *d. Tr. d. Jur.*
Sens. Diss. 7. cap. 3. n. 14. Finckelth. *d. Obs. 68. n. ult.* maximè
si recedente inqvisito, hæmorrhagia desinat, redeunte su-
specto, iteratò sanguis promanet D. Stryk. *d. n. 14. in fin.*

Pace tamen tantorum JCtorum dixerim, hanc cruen- 55.
tationem cadaveris penitus nihil operari, reliqva enim in-
dicia, si sufficentia sint ad torturam, ex his ea decernenda, non
vero ex cruentatione sanguinis, ut nec major gradus tortu-
ræ ex sanguinis stillatione dictitari possit. Aut reliqva in-
dicia sola non sufficiunt ad torturam, & ex cruore demortui
concurrente, tortura dictitari neqvit, qvia indicium hoc est
dubium, incertum, atqve fallax. Hoc etenim scimus, inqvit 56.
Carpz. *d. Qu. 122. n. 31.* & ipsemet ex actis inqvisitionalibus
ad collegium nostrum transmissis compertum habeo, qvos-
dam hoc indicio sæpe fallo esse notatos, ut & illud, qvod vero
homicidii reo præsente, interfectus homo, ne guttulam qvidē
sanguinis emiserit. Idem observat Feltm. *d. Cadav. inspic. cap. 59.*
th. 15. Extra controversiam vero positum indicia levia, in-
certa, & superstitiosa in dictitanda tortura attendenda non
esse *Const. crim. art. 20.* ibi: Das ohne redliche Anzeigung
niemand soll peinlich gefraget werden. Hoc vero indicium
hæmorrhagiæ cadaveris est incertum, periculosum, & su-
perstitiosum ex sententia, Carpzovii.

Incertitudo qvoq; probatur seqventi exemplo, qvod refert 57.
Man-

Manlius *LL. CC. pag. 407.* qvod anno 1544. ſtudioſus qvidam inter oppidum Dieben, & Lipſiam fuerit interfectus, ejusdemq; cadaver in aqvam ſit projectum, ubi per qvatuor ſeptimanas jacuerat, donec ex glacie erutum in proximum oppidum deportatum fuerit, ibi in præſentia judicis & civium recentem ſtillare cœpit ſanguinem, nec amico, nec inimico præſente. Non immerito ergo hoc indicium cruentationis leviſſimum & incertiſſimum vocat Oldekop. *in Obſ. Crim. Tit. 2. obſ. 2. n. 2.*

58. Et hoc indicium, qvod valde leve eſſe indicat, aliis adminiculis concurrentibus, non aliter attendendum eſſe, qvam ſi ſanguis modo præter naturali ex plaga exprimatur tametſi obligata, obductaqve ſit, ac taſciis devincta, vult Zanger. *d. Quæſt. reor. cap. 2. n. 160.* atqvi ſemper incertumeſt, qvo fiat modo ejuſmodi hæmorrhagia, & eleganter de hac cruentatione Feltman. *d. Cadav. Inſpic cap. 59. th. 16.* ſcribit: *Nec ad ullum argumentum, eam ſanguinis redditionem ſufficere ſentio, adeo ut propter hanc ſolam inqviri contra eum, qvi præſens fuiſſet, non oporteat.*

59. Ex dictis novum oritur dubium, an judex ſalva conſcientia inqviſitum, vel quem de homicidio ſuſpectum habet, deducere poſſit ad cadaver, qvo ex tactu cadaveris de reatu vel innocentia inqviſiti qvodammodo conſtet? & affirm: non tantum communiter recepta, ſed & neceſſario ab his defendenda, qvi putant hoc indicium cum aliis concurrens locum facere torturæ. Hinc affirm. tuetur Beat. Dn. Brun-

60. nem. *in proc. inqviſ. cap. 7. n. 30.* & ſolent, inqvit, ipſi etiam rei ad cadaver tangendum adduci, etiam ſine ſuperſtitione, ſaltem ut videat judex, quibus geſtibus accedant, an cum tremore, an vero cum pallore, ut forte novum exinde eruatur quale quale indicium innocentiæ, aut delicti. Eamque ta-

cturam

cturam non plane à judice negligendam esse, tuetur Illustris Dn. Stryk. *Diss. 7. c. 3. n. 15. & 17.* Finckelth. *Obs. 68. n. 22. & 23.* ibiq. præj, facult. Lipsi. ibi. So ist doch / die Thäter über das Leibzeichen zuführen / euch unbenommen Feltm. *d. cadav. inspic. cap. 59. th. 17.*

Verum ex antea adductis contraria sententia, salvo aliorum judicio, mihi probabilior, cum enim hoc indicium admodum sit periculosum ne dicam superstitiosum, ut loqvi amat Carpz. *qv. 122. n. 30.* imo re vera superstitiosum sit, & Deum tentans, qvod cum Boeer. *d. Quæst. & tort. c. 3. n. 21.* fatetur Carpz. *d. Qu. n. 32. in fin.* ergo salva conscientia adhiberi neqvit *Deut. 6. vers. 16. Matth. 4. v. 7.* uti rectè statuit Joh. Ott. Tabor. *Tr. d. Confrontat. Disp. 5. cap. 4. th. 3.* Communiter enim tactus cadaveris fieri solet seqventi formula: Habe ich Schuld an deinen Todt / so gebe Gott ein Zeichen an dir Illustris Dn. Stryk. *d. Jur. sens. Diss. 7. cap. 3. n. 5.* qvæ verba non possunt non tentationem divinam inferre, dum Deus temere provocatur, ut hominibus miracula exhibeat. Hinc rectè judicavit Zoes. *ad tit. X. de purgat. vulgar. n. 3.* Qvod tactus cadaveris videatur spectare ad probationem vulgarem. 61.

Qvid enim qvæso interest, an suspectus ferro candenti, vel de veneficio diffamata aquis submergendo, an de homicidio accusatus tactu vulnerati innocentiam probare jubeatur; Priores modi ferrum candens, & aqvarum immersio recentiorum & Theologorum & JCtorum omnium calculo, ut superstitiosi & Deum tentantes damnatisunt, & memini in facultate Rostochiensi juridica, juncta facultate Theologica d. 27. Maj. 1695. seqventem in modum responsum fuisse: Daß inqvisita wegen der unverantwortlichen superstition, da sie sich ihre Unschuld 62.

zuerweysen / von ihren Mann in das Wasser werffen lassen / eine öffentliche Kirchen Buß zuthun schuldig / auch anbey dem Pastori anzubefehlen sey / seine Gemeine von dergleichen aberglaubischen Dingen ernstlich abzumahnen. Eandemqve sententiam fovet GENEROSUS Dominus Hartvich à Dassel *in Resp. Juris in causa Pœnali Maleficarum Winsiensium n. 74. & seqq. ubi* plurimis rationibus rejiciendum probationis hoc genus esse, affirmat. Idemqve ergo judicandum erit de cruentatione.

63. Nec est, qvod excipias, deductiouem suspecti ad cadaver fieri / posse sine superstitione, si verba ad Deum directa omittantur, vultusqve tantum inquisiti observetur, & gravius admoneatur de veritate non celanda; Ipsa deductio enim fundamenti loco supponit hæmorrhagiam futuram, adeoqve tentationem divinam, nec admonitio suum sortitur effectum, si homo sit sceleratus & duræ cervicis, si vero homo sit timidus, & cruentatione, & judicis severa admonitione terreri potest, ut con-
64. fiteatur delictum à se nunqvam perpetratum. Prioris exemplum affert Petr. Gilcken. *in comm. ad L. fin. C. d. probat. n. 9.* Ubi qvidam, inqvit, procurator Lovanienſis, cum animadverteret, socerum suum, & socrum attentiores ad rem esse, neqve pecuniam; ullis blanditiis exprimi posse, tandem nefandum suscepit facinus; etenim nocte intempesta per notas sibi latebras domum ingressus, utrumqve jam profectioris ætatis trucidavit. Cæde postea manifestata, cum de autore flagitii qværeretur, & is aliis adstantibus in triclinium, ubi cadavera exposita erant, ingressus esset, vulnera sanguinem emittere cœperunt,
65 sed homo astutus, duræqve frontis, ad cruoris adspectum exclamavit, adesse autorem sceleris, sed in tanto

numero

numero circumstantium nemini facinus imputari posse, diem tamen ipsum, qvi scelera omnia aperire solet, hunc ad vindictam improbitati debitam vocaturum, qva astutitia qvidem suspicionem effugit, scelerati tamen hominis vox habuit eventum. Dissipatis enim occisorum facultatibus, ad alia properat scelera, Ultrajectique admissum suum rotæ supplicio expiare coactus est. Ex qvo liqvet, homines neqvitiâ perduratos, nec sanguinis fluxu è cadavere moveri, ut veritatem confiteantur.

Et qvid si suspectus re vera sit homicida, cadaver 66.
vero sanguinem non fundat, nonne audentior fiet in facto pernegando, sanguinisqve defectum ad innocentiam contestandam adducet? Si vero regeras experientiam 67.
testari, hujusmodi effluxionem ut plurimum solere verum cædis autorem demonstrare, verum ex eo, qvod fit ut plurimum, præsumtio desumenda est *l. 9. in fin. ff. d. Probat.* Repono: casus, in qvibus cadaver, præsente homicida, sanguinem non fundit, multitudine superaturos esse casus, in qvibus hæmorrhagia conspicitur, sed illi literarum monumentis non solent consignari, quin potius supprimuntur, ne inqvisitis afferant exceptionem.

Ad hæc sagæ, vel Veneficio suspectæ aqvis ut 68.
plurimum supernatare solent, salva tamen conscientia ejusmodi immersio à judice christiano decerni non potest, qvia continet tentationem divinam ejus. *Qu. 39. n. 61. seqq.* Hinc concludo discursum verbis Heig. *p. 2. qv. 39. n. 105. seqq.* & Oldekop. *Tit. 2. Obs. crim. 2. n. 4. circa fin.* ibi: *Qua propter tutius erit, sæpe dicto indicio nihil confidere, idqve ad judicii necessitatem cum periculo non transferre & suspectum ad cadaver non deducere. add:* Gomez. *Tom. 3.* 69.
cap. 13. de tort. reor. n. 15. ibi *sed salvo meliori judicio ego teneo*

eo contrarium, & nullo modo practicarem, quia hoc indicium nobis incertissimum, & ex causis nobis incognitis, & valde remotis, ideo non esset practicandum. Consentit Tabor. *de Confrontat. Disp. 5 cap. 4. th. 3.* qui iniqvitatis accusat qvi hoc indicium cum aliis simul considerant, qvia planè attendi non deberet: Indicia certè, qvæ intellectum transcendunt, attendi non debent. Cujac *Lib. 10. Resp. Papin. pag. 453. col. 1.* Illustris Dn. Stryk. *in tr. d. Jur. sens. præm. n. 43. in fin.* maximè si tentationem divinam involvant.

70. Prudentiorem magisque christianum & rationabilem depredicamus modum, occultum investigandi homicidam, qvo usus est Ferdinandus Gonzaga Mantuæ, qvot enim præsentes fuerunt, in loco homicidii jussi sunt cor nudare, postea Ferdinandus manu cujusvis pulsum motumqve cordis tentat, cum vero unius cor vehementissimo motu afficeretur, hic homicida est, exclamavit, qvi etiam facinus confessus est. Qvanqvam ad mores hominis sit simul respiciendum, an timidior sit natura, hic enim inopinato conatu Principis vel Magistratus facile terreri & non perpetrata confiteri posset, add. Heigius *quæst. 39. n. 113. seqq.*

CAPUT. II.

DE HÆMORRHAGIA VULNERATORUM LETHALI

SUMMARIA.

Qvæ dicatur Hæmorrhagia lethalis. - n. 1.

Quod exemplis demonstratur n. 2. - - seqq.

Rami minores venarum & arteriarum si læsi, lethalitatem afferre non solent. - n. 6. & 7.

Quidam statuunt non dari hæmorrhagiam absolute lethalem. n. 8.

Vulnera cerebri curata adducuntur & cultrum è stomacho esse extractum - - n. 10.

Rusticum nunqvam alvum deposuisse. - n. 11.

D. Döbelius nullum vulnus lethale extra cor statuit. n. 12.

Nec

Nec cordis vulnera lethalia esse exemplis demonstratur. n. 13. seqq.
Regula tamen fertur de casibus ut plurimum contingentibus n. 16. & 17.
Nec attenditur aliquando homines mori ex levissima læsione n. 18. & 19.
Medici non de veritate, d. de probabilitate respondent. 20. seqq.
Ad iudicium ferendum de hæmorrhagia inspectio desideratur. n. 24.
In qua (I.) observandum quod ante sepulturam fieri debeat n. 25. 26
Alias corpus effodiendum. 27.
Si culpa Iudicis inspectio neglecta homicida capite non punitur - - n. 28
Quod alii limitant nisi vulneratus in continenti fuerit mortuus - - n. 29. seqq.
Contraria sententia verior, quia sæpius mors in continenti sequitur ex vulnere non lethali. n. 32.
Quod Probatur exemplis. n. 33 & 34.
Cum homines etiam ex interno vitio mori possint. n. 35 36.
Hinc commendatur cautela, ut omnia fascera inspiciantur, etiam non vulnerata. - n. 37.
Ex præsumtionibus ergo incertis pœna capitis dictari non potest. - - n. 38.
Nisi ex signis certissimis Medici respondeant, vulnus esse lethale - - n. 39
Inspectio non desideratur, si homicida eam impediverit. n. 40.
Quo casu cadaver & ossa sufficiunt - - n. 41.
Rejicitur distinctio Carpzovii inter parricidium & homicidium. n. 42
Sola confessio Homicidii pœnam capitalem non meretur n. 43. 44
Si tamen recenter humatum cadaver, à judice extrahendum. n. 45
Solum sanguinem repertum ad corpus delicti sufficere credunt. n. 46.
Quamquam Negativa verior. 47.
Dicta duabus Regulis includuntur. - - n. 48.
Observandum (II.) circa inspectionem, quod Judex cum scabinis præsens esse debeat n. 49. 50
Observandum (III.) unum vel plures Medicos requiri n. 51.
Barbitonsores & Balneatores veniunt nomine der Wund-Aertzte 52.
De imperitia Chyrurgorum conqueritur. - n. 53.
Hinc Magistratus curet institui anatomias. - n. 54.
Hodie communiter Medico & Chyrurgo committitur inspectio vulneris. n. 5.
Fœminæquoque veniunt nomine Medicorum. n. 56 57.
Observandum (IV.) Medicos requiri juratos ante inspectionem. n. 58.
Quod in praxi male negligitur. n. 59
Et sufficit dummodo ab initio officii juramentum præstitum. n. 61.

Quo tamen casu ante inspectionem admonendi n.62.
An Juramentum Dd. & Licent: Medicinæ sufficiat? quodquidam affirmant. n.63.
Verior tamen & receptior negativa. - n.64.65.
Dubia tamen removentur n.66.seqq.
Nulla dignitas eximit à religione juris jurandi. n.72. seqq.
Medici jurant de credulitate. n. 75.
JCti, sicut judices respondeant, juramentum non præstant. n. 76.
Idemque in Medicis. - n.77.
Juramentum Medicorum in praxi exigitur. - n.78.
Ibique præjudicum. n.79.
Observandum (IV) quod in inspectione omnia diligenter sint notanda. - n. 80.
Scil. tempus. - n. 81.
Vulneris facies externa n.82.
Telum vulneri aptandum. n.83.
Quo casu præcipue indusium conferendum. - n.84.
Chyrurgi stylo non laterent vulnera - - n. 85.
Nec digitum vulneri immittant. n.86.
Omnes partes, per quas vulnus transit, accurate describendæ, n.87. seq.
Si plura vulnera, singulis telum aptandum omnesque partes corporis lustrandæ. n.89.
Si Medici statuant, Hæmorrhagiam probabiliter sisti non potuisse, capite plectitur homicida dolosus n.90. - - 91.92.
In C.C.C. homicidium ex insidiis patratum rota punitur. n.93.94.
In praxi sine distinctione communiter gladio punitur. n.95.
Limitatur. - n.96.
Si Medici hæmorrhagiam lethalem judicaverunt, homicidæ doloso capitis pœna dictatur, licet vulneratus post longum intervallum mortuus sit.
Doctrina de Diebus Criticis remisse adducitur n.98.
Communiter 40. dies attendunt. n.100.
Alii longius tempus constituunt n.101.
Alii plane nullum tempus admittunt. - 102.
Doctrina de diebus criticis rejicitur. 103.
Nec hodierni Medici ad tempus respicere solent. 104.
Quod illustratur præjudiciis num. - - - 105.
Et confirmatur textibus, n.106.
Hæmorrhagia necessario sequitur ex venis laceratis. n.107.
Si Hæmorrhagia lethalis, non attenditur, dieta vulnerati, nec Medici, absentia vel imperitia. 109.
Quid si Titius vulnus lethale intulerit Sempronio, quem Mevius postea plane occidat. n. 110.
Si duo vulnera lethalia intulerint uterque pœnam capitis luit ex C. C. C. n. 111.
Quæ C.C.C. sequenda. n.112.
Expressis verbis de hoc casu in Constit. Crim. non agitur n.113.
Hinc adducuntur Jura Rom. sibi tamen contraria n. 114. 115. 116.

Dd,

Dd. distinguunt inter vulnus certo lethale & non tale n. 117.
Quæ distinct. sufficiens non videtur n. 118. sqq.
In causa Criminali Pauli & Ulpiani sententiam præferendam esse, auctoritatibus probatur. n. 120.
Impia cautela rejicitur. n. 120.
Posteriorem homicidam vero ordin. pœna afficiendum esse probatur. - n. 123.
Multi tamen Dd. hunc liberant. n. 125.
Cum primus tantum occidisse videatur - n. 126
Hinc uterque videtur liberandus - - n. 127.
Vel uterque pœna capitis afficiendus - - n. 128.
Quæ sententia nobis verior. n. 129.
Transitus fit ad hæmorrhagiam culpabilitatem. - - n. 130.
Quæ extraordinarie punitur. n. 131 - - seqq.
An detur Actio L. Aquiliæ. n. 133
An Actio L. Aquiliæ cum L. Cornelia concurrat. n. 136. seq.

LEthalem dicimus hæmorrhagiam, qvæ secundum Regulas Medicorum, sisti non potest, Jac: Ayrer. *d. Homicid. p. 2. n. 55.* Carpz. *qu. 26. n. 26.* Finkelthaus. *obs. 61. n. 1.* ita ut certum sit, vulneratum ex hæmorrhagia esse moriturum *L. 51. pr. ff. ad L. Aqvil. L. 11 §. 4. ff. ad L. falcid.* Talis Hæmorrhagia læthalis est, si venæ vel arteriæ, in tali loco, ab alio sint ruptæ, vel sciſſæ, ad qvem manus Chyrurgi, vel Medici, pertingere non potest v.g. si vena cava sit lacerata, arteria Aorta vel partium interiorum rami insignes, vel extra corpus ad artus extensæ arteriæ venæve crurales, si circa ingvina, vel axillares, si sub axillis, lacerentur, ubi remedia applicandi impossibilitas oritur, ob loci anguſtiam, qvæ & partes ad consolidationem aptas incurabiles reddit, & licet qvandoqve locus pro applicandis remediis vasis sanguiferis laceratis, sat aptus videatur, inde tamen majus vitæ periculum metuendum sit, si scil. suffocatio ex compressione immineat, qvam tamen venæ arteriæve laceratæ, plus minus magnam reqvirunt, & sine qva præcedanea ex qviete, consolidatio vix obtineri potest. Sic hæmorrhagia qvæ ex venæ jugularis

laris læsione oritur, absolute lethalis pronuncianda, qvalis casus prope Gustrovium contigit Presbyter enim, cui Waltze nomen, fabrũ ferrarium Jochim Ehem *d. 25. Novembr.* 1683. cultro pupugit, venamqve jugularem internam obliqvé secuit, ex qvo vulnere 14. Decemb. d. anni mortuus est & licet facultas Medica Rostochiensis, in mitiorem abire videretur lententiam, Medicus Gustrovienſis tamen Dn. D. Deterding absolutè hoc vulnus lethale fuisse juratò pronunciavit, cujus sententia à Medica facultate Lipsiensi approbata, ac tandem pœnâ homicidii ordinariâ executioni mandatâ, confirmata fuit add. Ammann. *in prax. vulner. lethal. Decad. 6. Histor. 4.* Qvando vero de venis vel arteriis lace-
6. ratis, & ex his hæmorrhagia lethali ortâ locuti sumus, intelligimus ex more medicorum, tum truncum, tum ramos insigniores venarum, arteriarumve; Quando vero rami minores læsi, hæmorrhagia lethalis dici non potest, nisi
7. forte arteriola in cerebro vel corde sit læsa, ubi in priori cum spirituum motus inde impediatur, & leviſſimâ sanguinis copiâ nervi obstruantur, & in posteriori ob motum vehementem consolidationi contrarium, hæmorrhagia lethalis dici posset,

Nec obstat qvosdam Doctorum statuere non dari hæmorrhagiam absolute lethalem, cum textura venarum
8. & arteriarum ita sit comparata, ut consolidationem admittat, qvod vel solæ venæ sectiones & arteriotomiæ à posteriori probant, hinc non nulli vulnera absolutè lethalia
9. non dari autumant.

Vulnera enim cerebri enormiora qvoqve curata observant Paræus *L. 9. cap. 9.* Hildan. *Cent. 1. Obs.* 13. Glandorp.
10. *spec. chirurg. Obs.* 5. Et In prussia Regiomonti anno 1635. d. 9. Jul. & seqq. contigisse memorant, qvod Andreas Grun

heid.

heid/ cultrum improvidè deglutiverit, qvi, vulnere ventriculo inflicto extractus, vulnusqve curatum est, prout ac testato Germanico senatus oppidani Regiomontani subdato d. 18. Jan. anno domini 1641. probatur, qvod typis exscriptum in Ephimer. German. *Decur. 2. ann 8. Observ. 167.*

Nec minus curiosum exemplum in Ephimer. German. II. *Decur. 2. ann. 8. obs. 229.* Refert. D. Joh. Christian. Mackius, se scil. vidisse & locutum fuisse cum rustico 78. annorum tunc nato, cui nomen Matthæus Stahr/ ex Oberbilar/ qvi alvum nunqvam deposuit, sed deponenda collegit in vesica, qvam cingulo alligatam semper secum portavit, intestina enim cum anno 1618. ei adhuc juveni lacerata essent, chirurgus laceratam partem resecuit, partemqve superiorem cuti firmiter alligavit, sicque Dei auxilio contra sui ipsius spem, & omnium fidem, restituit lethaliter vulneratum, à qvo tempore per portam posteriorem nihil ejecit, sed per orificium vulneris, qvod dictus rusticus jurato asseruit, & monstravit. Hinc Beat Dn. D. Joh. Jacob. Döbel Med. D. & Prof. Publ. 12. in hac Rostochiensi *in Judicio Medico de dato Rostoch. d. 3. Octob. anno 1668.* His verbis suam exprimit sententiam: Dann (1.) ist klahr und offenbahr/ kann auch mit Bestande nicht geleugnet werden/ das keine eintzige Wunde/ excepto vulnere ad cordis venticulum penetrante, an und vor sich selbst/ simpliciter & absolute lethal sey/ weil ich vor diesen erwiesen/ und setze anjetzo noch dieses hinzu: Das auch die vulnera cordis superficialia neqve adventriculorum aliqvem descendentia absolut lethal seyn/ wie solches mit vielfältigen experimenten könte probiret werden/ wenn es dieses Orths wehre. Cui jungi potest D. Johannes la Serre Observ. qvæ in Ephimer. Germ. *Decad. 2. ann. 6. obs. 77.* continetur. Qui 3. 13. Mens. Maji. anno 1684. canem cuitro anatomico subjecit, re-

remotoqve ſterno, globolum unum in mediaſtino reperit, eâ in parte, ubi cum pericardio unitur, & alterum in ipſo pericardio: poſtqvam autem ad cor perventum fuiſſet, globulum detexit tendinoſæ cordis ſubſtantiæ altius infixum: & ut conjicere licebat, jam dudum vulnera iſta cani illata fuerant, qvi nihilominus robuſtus, pingvisqve erat, & nulla in corde ejus labes conſpecta fuit.

14. Et ex Thom. Rod. à Veiga *in Comm. de loc. aff. Gal. in ſcholio ad d. obſ.* 77. narratur: Inventam fuiſſe cervam infixam, quæ geſſerit cordi antiqvam ex venatione ſagittam. Et comes de Bromnitz in corde apri invenit globulum carne & pinquedine circumductum. Et in comitatu Naſſovico, in apri magni corde, globulum plumbeum & plane carne obductum, fuiſſe conſpectum, autor eſt *d. Scol.* Et Baſiliæ Fel. Platerus in theatro anatomico cor porci domi ſuæ mactati oſtendiſſe, fertur, in qvod bacillus acutus, pue. rilem digitum minorem longitudine æqvans ante ſemeſtre

15. impactus fuerat. Ne vero exiſtimes in corde animalium non vero hominis tale qvid contigiſſe, ex Barthol. Cabrolio *obſerv. Anat.* 26. referunt, qvi ipſus ego, *ſcribit.*, in duobus furibus laqveo ſuffocatis, & poſtea anatomiæ ſubjectis, duo mirabilia ſatis ad hanc rem facientia exhibui, primo in baſi cordis ad coronariam, cicatricem, duos latos digitos longam, teſtonemqve ut vocamus, craſſitie æquantem. Secundo eodem loci, anno inſeqvente ulcus latitudine folii myrtini ſat profundum. vid d. Schol. *ad obſ.* 77.

16. Verum hæc aliaqve plura ſi fingas vera, irregularia tamen & miranda potius, qvam ſperenda, adeoqve in vulneris lethalitate determinanda, attendi non poſſunt. Qvod enim de Legibus dicitur, eas ferri de caſibus, ut plurimũ contingentibus, & ab his regulam duci *L. 3. ſeqq. ff. d. LL.* Idem qvo-

qve

qve in hac materia vulnerum lethalium usu servandum, scil; non attendendum, qvid aliqvando acciderit, sed qvid communiter ex regulis, & fundamentis artis seqvi, & contingere soleat, secus si feceris, nullum ferè erit vulnus lethale, & omne vulnus respectivè erit mortale, antea enim exempla adduxi, ex qvibus apparet vulnera, qvæ lethalia judicantur, aliqvando fuisse curata. E contra nulla fere tam egigua est vulneratio, ex qva homines qvidam non perierint Sic palmâ percussi mortui sunt. Qvale exemplum allegat. Carpz. *Qu.* 3 *n.* 43. aliud exemplum Zachias *in Quæst. Med. Leg. Lib.* 5. *T.* 2. *qv. X. n.* 3. *ex Beniven. de Abd. cur. cap. ult.* adducit ubi juvenis alapa percussus illico apoplexia prehensus interiit. Multi ex levi læsione unguis in manibus vel pedibus mortem sibi accelerarunt. Si ergo ex his qvæ aliqvando contigerunt, universaliter concludere velles: ergo manu vacua caput percutiens vulnus infert lethale, æqve peccares ac ille, qui concludit: aliqvando cor, intestina, cerebrum &c. vulneratum, curatum tamen, ergo ejusmodi vulnera non sunt lethalia. Notum enim à particularibus ad universalia non valere conseqventiam, Nec adversatur: Medicos determinare non posse incertum alicujus vulneris eventum, ut pote soli Deo notum, plura enim probant exempla, homines ex vulneribus, prima facie non adeo lethalibus, mortuos fuisse, Theophrast. Paracels. von Aderlassen *Tract.* 1. *pag. m.* 712. *seq.* Alia vero vulnera longe periculosiora sanata & desperatos à medicis sæpe pristinæ sanitati restitutos fuisse Gail. *L.* 2. *Obs.* 111. *n.* 14. Ut nullus medicorum certo respondere possit, hoc vel illud vulnus curari potuisse, si medici in tempore illud debite tractassent, vel tractare potuissent. His aliisqve similibus objectiunculis repono; nunqvam qværitur ex medico, qvalem exitum ejusmodi vulnera

17. 18. 19. 20. 21. 22.

nera certo, & neceſſario ſint habituri, ſed qvalem exitum, ex fundamentis medicis, habere præſumantur waß man von dergleichen Verwundungen vor einen Außgang/ auß
23 kunſtmäßigen Gründen / hoffen könne. Ita ut hæmorrhagia nobis lethalis ſit, ſi medici, ex certis ſuæ artis principiis, concludant: credibile non eſſe, in ejusmodi vulnerationibus hæmorrhagiæ fluxum impediri poſſe, es würde ſich vermuthlich das Bluth nicht haben ſtillen laſſen.
Quid vero ſperandum & præſumendum, à medico utiqve determinari poteſt & debet. Qvo vero Medici de hæ-
24. morrhagiæ lethalitate judicare poſſint, requiritur, ut cadaver occiſi legitime inſpiciatur, ac locus vulneris ejusque qualitas accuratè deſcribatur per *Conſt. Crim. Art.* 149.
25. Circa qvam inſpectionem *ex d. Art.* notamus I. Qvod fieri debeat ante ſepulturam per *Conſt. Crim. Art.* 149. ibi: vor der Begräbnis mit Fleiß beſichtigen/ certa dies, certaqve hora à morte defuncti conſtituta non eſt, ſed judicis arbitrio relicta, qui tamen qvantocius inſpectionem legitimè peragendam decernat, vel maximè tempore æſtivo, qvo ca-
26 davera facilius putredinem contrahunt. Ut nec diem, divino cultui dedicatũ, excipiant Feltm. *de cadav. inſpic. qu. th.* 4. Quam ſententiam admitto, ſi ſacra fuerint peracta, niſi periculum ex eo immineat, qvod per aliqvod dies jam mortuus jacuerit, qvo caſu conſeſtim fieri debet inſpectio
27. *arg. l.* 10. *C. de. feriis*

Si vero ante ſepulturam inſpectio vulneris inſtituta non ſit, corpus humatum effodi debet. Jul. Clar. *in pract. Crim. §. ult. qu.* 55. *n.* 11. Carpz. *Qu.* 26. *n.* 23. Sebaſt. Guazzin. *Tr. ad defenſ. inqviſit. Def.* 4. *cap.* 2. *n.* 9. Theſſaur. *Dec.* 173. *n.* 4. Hoc tamen caſu accuratè protocollo inſpectionis inſerendum, an cadaver magnam contraxerit putredinem, qvæ impedimento fuerit partibus vulneratis accuratè luſtrandis.

Quid

Quid si ergo medici asserant, corpus jam corruptum 28.
aptum non esse, ut cultro anatomico subjiciatur? Resp. si judex in culpa, qvod cadaver sine inspectione terræ fuerit mandatum, nullitatis vitio afficit processum Oldekop. *Tit. 4. Observ. Crimin. 47. n. 1.* liberatque homicidam à pœna ordinaria Carpz. *Qu. 26. n. 50. seqq.* Classen. *ad C. Crim. Art. 149. circa initium* Feltman. *d. Cadav. inspic. cap. 61. th. 6.* Finge 29.
autem, vulneratum è vestigio, vel intra horulæ spatium, ab ictu bombardæ vel gladii, animam efflasse, an ab ordinaria pœna eum liberabit neglecta inspectio cadaveris? Negativ: Excellent. JCti defendunt Brunnem. *in proc. Inqvis. cap. 7. n. 20.* quem allegant & seqvuntur Feltman. *d. Cadav. Inspic. cap. 61. th. 7.* Illustris Dn. Stryk. *Tr. d. Jur. sens. Diss. 1. cap. 3. n. 23.* Oldekop *contra* Carpz. *Decad. 1. Qu. 8. n. 5.* Ratio eorum 30.
est, qvod inspectio vulneris à Carol. V. tantum eo casu reqviratur, si dubium sit, an vulneratus ex vulnere sit mortuus, & post aliqvot temporis spatium mortuus sit C. Crim. Art. 147. ibi: So einer geschlagen wird / und über etliche Zeit darnach stürbe / also daß zweifelich wäre / ob er der geklagten Streich halben gestorben wäre / oder nicht. 31.
Si vero in continenti moriatur vulneratus, dubium nullum superesse, qvin ex vulnere sit mortuus Feltman. *d. l. th. 7.* cum in re clara non opus sit conjecturis Feltm. *d. l. th. 8.* Et qvæ in certo tantum casu de necessitate requiruntur, illa in casu contrario necessaria haud erunt Illustris Dn. Stryk. *d. l.* natura enim ipsa per spatium ejusmodi breve, eum ex vulnere mortuum, demonstrat. Christ. Blumblacher *in Comm. ad Const. Crim. art. 149 pag. 320.*

Verum pace tantorum Papinianorum ac Ulpinianorum dixerim, ex brevitate temporis præsumptionem, non proba- 32.
tionem luce clariorem deduci *arg. L. fin. C. d. prob.* plura enim

extant exempla, qvod vulnerati horulæ, vel dimidiæ horæ
ſpatio hæmorrhagia fuerint mortui, ſie haben ſich in einer
halben oder gantzen Stunde verbluthet/oder zu tode gebluh-
thet & tamen conſtans medicorum aſſertum fuit, vul-
33. nus per ſe lethale non fuiſſe. Sic Facultas juridica Lipſi-
enſis d. 26. *Febr.* 1623 conſuluit facultatem medicam, an vulnus
femoris, ex quo ingens copia ſanguinis effluxit, & ex qvo
vulneratus, intrà duas horulæ qvadrantes, mortuus erat,
lethale pronunciari poſſet, qvæ negativam amplexa, non
obſtante brevitate temporis vid. integr. caſum penes Am-
man. *in medic. critic. Caſ.* 17. eundemque caſum refert Fin-
34. kelth. *Obſ.* 61. *n.* 12. Similem caſum proh dolor! Roſtochi-
um vidit d. 10. Jan. 1695. cum juvenis qvidam in femore
punctim vulneratus eſſet, & vena cruralis juxta longitudi-
nem lacerata, ex qvo vulnere tanta copia ſanguinis
emanavit, ut vulneratus ne qvidem per integram horam vi-
tam protraxerit, pleræqve tamen facultates Medicæ, hoc vul-
nus non per ſe lethale judicarunt.

35. Accedit hominem ex interno vitio mori potuiſſe, e-
xempla enim proſtant, qvod quidam homines ex levi per-
cuſſione qvæ intrinſecus nihil laceraverat, continuo tamen
ſint mortui. Eleganter hoc thema pertractavit Dn. Joh.
Bohn/ *Anat. & Chirurg. Prof. Publ. in Academ. Lipſ. in renunci-*
at. Vulner. lethal. pag. mihi 140. *ſeqq.* Ubi refert nobilem,
36. cui qvilibet ſummam ſenectutem promiſiſſet, ad latus u-
xoris repentè occubuiſſe, cujus ſubitaneæ mortis cauſa, in
cadavere, ruptura ſiniſtri cordis ventriculi prope oſtium
Aortæ, hincqve cruoris ad pectus profuſio, deprehenſa fuit.
Hunc ergo, *inquit Bohnius*, ſi paucis ab obitu horis, leviter
ſauciari contigiſſet, nonne ſolius temporis rationem ha-
37. bens, ex vulnere mortifero deceſſiſſe autumaſſet? Ex

qva

qua excellent. Bohnii doctrina cautelam commendo Inqviſiti cognatis & amicis, ut qvam primum cognoſcunt, vulnerati & demortui cadaver eſſe inſpiciendum, à magiſtratu petant, ut medicis injungat, omnes partes corporis internas perluſtrare, poſſet enim detegi vitium, cui cauſa mortis celerioris adſcribi poſſet, cum alias Judices non minus ac medici contenti ſint, ſi partem læſam luſtraverint, ejusqve qvalitatem protocollo inſeruerint.

Cum ergo ex dictis appareat, præſumtionem, qvæ 38.
ex temporis brevitate deſumitur, eſſe incertam & fallacem, in criminalibus vero ſi de pœna capitis agatur, probationes luce clariores requirantur ordinariam pœnam, hoc caſu dictari poſſe non credo, qvæ ſententia etiam in praxi recepta, teſte vel ipſo Oldekop. *contra. carpz. Decad. I. Qu. 8. m. 5.* ubi pro extraordinaria bis reſp. refert.

Eqvidem in caſibus à Dn. Brunneman. *cap. 7. n. 20.* 39.
adductis facilius ipſi adſtipularer, ſi ſcil. vulnus capiti illatum ſit, & effluat cerebrum, vel ſi in ventre vel inteſtinis vulnus illatum ſit, & fimus effluat ex vulnere, ex his enim ſignis Judicare poſſunt medici, qvod homo curari probabiliter non potuerit, qvo facto, pœna ordinaria imponi poſſet

Locuti hactenus ſumus de caſu, ſi judicis culpâ inſpe- 40.
ctio cadaveris neglecta ſit. Si vero homicida ipſe in cauſa ſit qvod inſpectio fieri non poſſit, hæc exceptio ei non prodeſt v. gr. Si homicida defunctum clam terræ mandaverit, vel in flumen, mare vel puteum projecerit, Hoc caſu ſi inqviſitus homicidium confiteatur, ſufficit cadaver repertum 41.
ad corpus delicti, nec deſideratur cadaveris putridi inſpectio pro inquirendis vulneribus lethalibus. Sic in infanticidio & parricidio ſæpius contigit, oſſa tantum infantis occiſi, in loco ab inqviſito monſtrato fuiſſe reperta, nihilominus

vero pœna capitis fuit dictata Carpz. *Qu. 16. n. 14.* Et licet
42. Carpz. *Qu. 16. n. 13.* distinct; faciat inter parricidium, & homicidium, & in hoc, non illo cadaveris inspectionem juxta Carol. V. Const. reqvirat, nullam tamen hic agnosco differentiã, cum & in infanticidio judex nihil omittere debeat, qvod ad delictum manifestandum, vel inqvisiti defensionem, ullo facere potest modo; sic in homicidio qvoqve, si qvis hominem occidisse confiteatur, & in loco indicatæ sepulturæ cadaver, vel etiam sola ossa reperiantur, pœna capitis dictari potest Marant. *in spec. aur. part. 6. d. Inquis n. 18.* In delictis enim occultis, licet fuerint facti permanentis, sufficit constare de corpore delicti per conjecturas Carpz. *Qu. 108. n. 33.* Brunn. *proc. inqvis. c. 7. n. 8.* cum è contra certissimum sit, ex sola
43. confessione neminem ad mortem condemnari posse, nisi probabilia concurrant indicia hominem revera esse occisum Mascard. *deprobat. Concl. 1073 seqq.* Jul. Clar. *sentent. L. 5. §. fin Qu. 44. 55. n. 11. in med.* Zanger. *d. Qvæst. cap. 5. n. 44.* Licet dicat, se cadaver in mare projecisse Ægid. Boss. *tit. 1. d. delicto n. 15.* Si ergò corpus delicti, & qvalitates assignatæ non fuerint verificatæ, absolvendus est confessus crimen, vel si ullum subsit dubium, sub cautione relaxandus Guazzin. *in def. reor. Def. 4, cap. 3. n. 5.* Boss. *d. tit. 1. d. Delict. n. 15.*

45. Si vero recens fuerit homicidium, etiam hoc casu qvo homicida cadaver terræ mandavit, judex cadaver curet exhumari, vulneraqve inspici Marant. *in spec. aur. p. 6. d. Inqvis. n. 18. Jul. Clar. d. §. fin. Qu. 55. n. 11. ibi: an extent vestigia vulnerum.*

46. An vero solus sanguis repertus sufficiat, ad capitale supplicium dubiũ, finge Tit: confiteri homicidium, atq; cadaver in flumen, mare, vel lacum projecisse. Cadaver in loco indi-

indicato diligentiſſimè qværitur, ſed non reperitur, ſanguis tamen in eo loco apparet, an confeſſus capite puniendus? hunc caſum proponunt & affirm. deciſum eſſe reſpondent Jul. Clar. *ſ. ſentent. §. fin. Qu. ſſ. n. 11. circà fin.* Sebaſt. Guazzin. *de defenſ. Inquiſ. ſeu reor. Def. 4. cap. 3. n. 8. in. fin.* Mihi tamen verior ſententia videtur, ſolum cruorem repertum, non eſſe ſufficiens indicium, ut ex eo ad pœnam ordinariam deveniri poſſit, quia nimis incertum, an cruor ille ſit hominis, ſi vero alia concurrant indicia v. gr. ſi hominis amiſſi & occiſi veſtes poſſideat, cruor qvoqve ſanguinis ad pœnam ordinariam concurrere poteſt. 47. Ex qvibus omnibus concludo: Quot. homicida ipſe cadaver occultavit, & cauſa exiſtit, qvod inſpectio legitimè fieri non potuerit, tot. nocet inquiſito, & ſufficit probabilia concurrere indicia, qvot: vero cul. pa judicis cadaveris inſpectio neglecta, tot: ſi inqviſitus in ea ponat fundamentum defenſionis, prodeſt inqviſito, ut pœna capitis ordinaria locum habere non poſſit, ſed judex propter incuriam puniendus eſt. 48.

Diutius eqvidem hæc me materia detinuit, utiliſſima tamen in hæmorrhagiæ lethalis dijudicatione, nunc revertor ad Conſt: Crim. ejusqve Art. 149. ex qvo paucis obſervo II. judicem ipſum cum duobus Scabinis & actuario præſentem eſſe debere in actu inſpectionis. d. Art. 149. ibi: Soll der Richter / ſamt zweyen Schöpffen / dem Gerichtſchreiber &c. den todten Cörper beſichtigen. qvod usqve adeo accurate in qvibusdam locis requirunt, ut pœnam extraordinariam dictitent, ſi ſolus judex præſens fuerit inſpectioni ſine teſtibus, Carpz. *p. 1. Qu. 26. n. 32.* in aliis tamen locis ſufficit duos Scabinos ablegari cum actuario, hujus tamen præſentiam præcisè neceſſariam judicamus, qvia ad acta fideliter conſignanda juravit, alii ergo fides haberi neqvit. 49. 50.

51. Medici III. unus vel plures, ſi haberi poſſint in d. Art. 149. ad inſpiciendum cadaver reqviruntur, ibi: ſamt einen oder mehr Wund-Aertzten / ſo man die haben / und ſolches
52. geſchehen kan. Per qvam vocem Wund-Aertzte non tantum intelliguntur chirurgi, ſed etiam Medicinæ doctores. Nudi Barbitonſores & balneatores nomine der Wund-Aertzte non veniunt, niſi chirurgiæ & anatomiæ ſint periti, qvo caſu, ſub hac voce der Wund-Aertzte continentur Carpz. *Qu. 26. n. 41.* in præj. ibi. ob der Balbier oder Bader ſolche
53. Theile vor tödlich gehalten. Quanqvam Ammon in *prax. vulner. lethal. Decad. 4. Hiſtor. 9. in Cribrat. n. 2. dicat; Quid chirurgi & balneatores in ſectionibus præſtant? nihil, quam qvod ſpongias ſanguine repletas exprimant, nam ſecare non poſſunt.* add. eundem Autorem *in medicin. critic. Caſ. 79.* Qvæ tamen Ammanno defendenda relinqvimus, licet fateri neceſſum habeamus, paucos hodie exiſtere chirurgos, qvi anatomiæ
54. fundamenta calleant, in civitatibus enim extra academiam, & pagis anatomiæ non freqventantur, ſummo cum reipubl. periculo & damno, hinc Magiſtratus non minus ac Phyſici nullam commodam occaſionem anatomiam inſtituendi, prætermittant.

55. Hodierna praxis communiter recepit, & medicum & chirurgum, ſi uterqve haberi poſſit, ad vulneratum mitti, qvo cadaver ritè inſpiciant. Adeoqve chirurgo ſoli inſpectionem concedendam non eſſe benè monet D. Welsh. *d. Vulner. lethal. pag. m. 123.*, ibi; *cum teſte experientia, vix centeſimus eorum in anatomia & artificioſa cadaverum præprimis ſectione ſolidi qvicqvam ſapiat.*

56. Fœminam qvoqve probatæ artis & fidei *l. 1. pr. ff. d. ventr. inſpic.* qvæ vel à patre, vel marito, vel alio medico medicinam callet, nomine der Wund-Aertzte venire poſſe, nullus dubito cum

cum Zachia *Quæst. Medic. legal. Lib. 6. Tit. 1. Qu. 12 n. 1.* Feltman. *d. Cadav. Inspic. cap. 47. th. 6.* Cum fœminæ pariter 57.
ac masculi medicinam addiscere jure Romano possint *l. 1. §. 5. ibi. Sin autem sit medicus, sive masculus sive fœmina l. 9. pr. ff. ad L. Aquil.* Modo anatomiæ & chirurgiæ fundamenta probe didicerit.

Ex *d. Art. 149. Const. Crim.* observo IV. qvod medici & 58.
chirurgi jurare debeant, ante inspectionem, qvod omnia debita fide peragere velint. d. Art. ibi: Die deñ zuvor darzu beeydiget werden sollen. Peritis enim in sua arte non creditur, nisi cum juramento *l. jurisjurandi 9. pr. C. d. testib.* Carpz. *Qu. 26. n. 38. seq.* In praxi vero hæc communiter negliguntur, & 59.
nunqvam ferè juramentum exigitur, anteqvam corpus inspectioni subjicitur, si vero post inspectionem de lethalitate judicium ferant, juramentum exigi solet, verum longe majoris præjudicii est ipsa vulneris inspectio, & ad protocollum descriptio, qvam attestatum de vulnere, hoc enim per peritiores emendari potest, non illud, sed qvodvis collegium peritiorum protocollum inspectionis, ceu fundamentum sui judicii medici supponit; qvanto majus ergo periculum im- 60.
minet inqvisito, tanto majori cura ac sollicitudine peragenda esset ipsa inspectio, adeoqve & chirurgi ante inspectionem ex pragmatica Car. V. Constit jurare debebant.

In praxi qvoqve sufficit juramentum ab initio officii 61.
præstitum, si in eo contineatur, qvod fideliter cadavera inspicere, & juxta scientiam, & conscientiam, de lethalitate referre velint. Huic juramento tantam vim tribuunt, ut se extendat ad omnes actus Spekhan *cent. 3. class. 2. qv. 13. n. 10.* Oldekop. *lit. 2. Obs. Crim 7. n. 4.* Illustris, D. Stryk. *de Jur. sens. Diss. 1. cap. 2. n. 30.* Hoc tamen casu cauti judices in præsentia ca- 62.
daveris introitum faciunt, admonendo & in memoriam

chirur-

chirurgis & medicis revocando juramentum, ab initio officii præstitum, & qvod hujus vis tanta, ac si nunc denuo æternum numen, ut testem, & vindicem implorent. Illustr. Dn. Stryk. *d. cap. 2. n. 32.* add. Matthæi. *Crimin. tit. d. scar. n. 17.*

63. An juramentum Doctorum & Licentiatorum medicinæ in promotione solenni præstitum, liberet eos, ab ulteriori juramento, variè disputatum & pro hoc juramento tanqvam sufficienti à facultate Francofurtensi pronunciatum esse, meminit Illustr: Dn. Stryk. *d. J. sens. Diss. 1. cap. 2. n. 32.* & Paul: Amann. *in prax. vulner. leibal. prolegom. 8.* Hanc qvæstionem tractans, contra JCtorum machinationes insulsas, (ut insulsè scribit,) facultatem medicam in contradictorio M. April. 1657. negativam, qvod jurare non teneantur medici & chirurgi, si jussi sint cadaver inspicere, obtinuisse, re-

64. fert, adde alleg. à Farinac. *d. Testib. Qu. 74. n. 95.* Verior tamen, & in praxi receptior sententia, qvod Medici & chirurgi, exigente vel judice, vel inqvisito, juramentum præstare teneantur, nec eos juvet juramentum Doctoratus, vel officii, nisi huic inspecie insertum, qvod circa cadavera inspicienda, & vulnerum renunciationem, fideliter versari velint.

Nulli enim testi creditur, nisi jurato *l. Jurisjurandi. 9.*

65. *pr. C. d. testib.* qvod cum in civilibus ita, qvanto magis in criminalibus obtinebit, cum in his, longe majus immineat periculum, ipsaqve *Const. Crim. Art. 149.* expresse velit, qvod medici jurati esse debeant.

Si excipias: in Doctoribus non præsumi, qvod aliter

66. qvam res sese revera habet, pronunciaturi sint, cum in examinibus & promotionibus eorum fides sit approbata. Ad hæc JCti, qvando de jure respondent, vel sententias, eti-

67. am criminales concipiunt, nullo constringuntur juramento. An ergo JCtis in vitam hominis plus licere credis qvam Medicis?

medicis? an majorem credis religionem ſacerdotum juſtitiæ *l.1.§.1.d.J.&J.* qvam filiorum Hippocratis? Illorum certe ſordes vel in ipſo corpore juris deſcribuntur *l.3.§.1.ff.d. Recept. qui arbitr' l.3.C.eod.l.15.ff.d. Judic.* Ut fundamento carere non videatur vox vulgi: JCtos eſſe Lînckmachers / Econtra Hippocrates talis, tantusqve in jure æſtimatur, ut ex ejus autoritate leges condere non dubitaverint Imperatores per clar. text. *l. ſeptimo 12. ff. d. Stat. Homin.* eodem ergo jure fruantur, qvi in Hippocratis ſucceſſerunt locum. Nonne JCtorum eſt tit. Digeſtorum: Qvod qvisqve juris in alterum ſtatuerit, ut ipſe eodem jure utatur? An vero JCtos Jus aliis ſcribere & explicare, non vero accipere vel ſervare dixeris? 68. 69.

In nævos certè qvorundam medicorum, ut pote qvos communiter terra tegit, & armati, ab hæredibus libertate donati, defendunt, ire non lubet, ſed fingamus hodiernos Medicinæ Doctores eſſe Hippocratis & Galeni pullos, eorumq; ſcientiã â probatis in arte viris probatam ac confirmatã eſſe, exinde tamen præter ſcientiam, nihil inferre licebit, verum & ſcientia & fides deſideratur *arg. §.3 proœm. Inſtit.* Ad fidem vero faciendam laudatiſſimi Imperatores juramenta medicorum reqvirunt. *d.l.9.& Art.* 149 Nec ulla dignitas à jurisjurandi religione teſtem eximit, Coler, *Dec.* 211. *n.* 6. Imo nec Clerici, ſacerdotes & Theologi, licet oracula divina in ſcrinio pectoris cuſtodire præſumantur, ſi ut teſtes producantur, jusjurandum declinare poſſunt. Struv. *Exerc.* 17. *th.* 17. Carpz. *p.*1. *C.*16. *def.* 69. Mev: *p.*4. *Dec.*265. Nec ſufficit teſtimonium ferre ſub ea fide, qvam ſemel præſtiterunt Eccleſiæ, vel altari, ſed re verâ jurare tenentur Hahn. *ad W. tit. de teſtib. n.*5. *adverb. jusjurandum de veritate* Finckelth. *obſerv.* 95. Nec 70. 71. 72. 73.

est qvod urgeat Zœs. *ad ff. tit. d. Jurej. n.* 8. indecentiam status clericalis, cui minus respondeat, juramentum à clericis exigere in judicio. Nam & hoc genus hominum non minus affectibus regitur, qvam alii privati, verba sunt Coler. *Dec. 211. n.* 7. qvem seqvitur Hahn. *ad W. d. l.* Mev. *p.* 4. *Dec.* 265. 74. *n.* 6. Et Brunnem. *in proc. Inqvis. cap.* 8. *memb.* 2. *n.* 44. Difficile. *inqvit*, est credere, in mendaciissimo & corruptissimo hoc seculo, homines veritatem dicere sine juramento. Qvi eodem numero recte statuit, nec statuto, nec consvetudine introduci posse, ut testi injurato in criminalibus credatur.

75. Qvæ cum ita sint, bile non suffundantur medici, qvod JCti juramentum ab illis exigant Brunn. *proc. inqvis. cap.* 7. *n.* 18. Vel maximè qvod jurent non juramentum veritatis, sed credulitatis, qvid scil. ipsis secundum artis fundamenta, probabile videatur. Brunn. *d. n.* 18. ibiqve all. Ambros. *L.* 1. *de Modo formand. proc. cap.* 1. *n.* 10. Jul. Clar. *sentent L.* 5. *§. Homicidium n.* 43. Gail. *L.* 2. *Obs.* 111. *n.* 13. Oldek. *Tit.* 2. *Obs. Crim.* 7. *n.* 5. Mynsing. *Cent.* 6. *obs.* 34. *n.* 12.

76. Nec JCti excusantur à juramentis, si ut testes producantur. Finkelth. *obs.* 95. *n.* 20. Si vero ut judices, vel judicis nomine, respondeant, jurare non tenentur, partim, qvod ab initio officii jurent, partim qvod in collegio plures sint, in qvos non æqve facile suspicio cadit, qvam in singulos. Et hoc casu etiam collegium medicorum, si ad reqvisitionem judicis judicium ferat, de lethalitate vulneris, jurare non solet. Si JCti extra reqvisitionem judicis, de jure respondeant, & partibus consilium suppeditent, eorum responsa probabilem tantum autoritatem habent, ita & medicorum responsa ad instantiam partium data probabilem sententiam reddunt, nisi juramento fuerint confirmata. At si medicorum testimoniis certo

cre-

credi, & ex iis homo occidi debeat, non debent non jurare, cum alias JCti illis tuto in concipienda sententia credere non possint. Et hæc sententia communiter recepta Farinac. *d. Testib. qv. 74. n. 99.* Jul. Clar. *sentent. L. 5. §. Homicidium n. 43.* Carpz. *Qu. 26. n. 38. 39.* Finkelth. *Obs. 61. n. 30.* Simili 79.
modo Academia & senatus Rostochiensis in causa crimin. J. G. d. 10. April. 1657. ex consilio Facultatis juridicæ Rintelensis pronuntiarunt, ibi: Zu dem Ende auch die bey der inspectione vulneris gewesene medici (qvorum uterqve erat Doctor & Prof. Ordin.) Ob und auß was für beständigen Gründen / das vulnus per se & sua natura lethal gewesen sey oder nicht / super Art. accusat. 26. salvis accusati interrogatoriis Endlich abzuhören. &c. quod etiam factum, licet multum, sed frustra in contrarium à Dn. Medicis disputatum fuisset.

Redeo ad Constit. Crim. & ex *Art. 149.* observo V. 80.
Qvod omnia vulnera, omniaqve ad inqvisiti condemnationem vel defensionem facientia in protocollo diligenter notanda sint, *arg. d. art. in fin.* Hinc judices cauti & pruden- 81.
tes protocollo inseri curant (1.) Circumstantias loci & temporis, qvo tempore vulneratus, qvo mortuus, qvo inspectio cadaveris instituta, (2.) Qvæ fuerit externa vulneris 82.
facies, qvale ejus initium, qvis finis seu exitus, qvidqve vulneri à medicis fuerit impositum, ex eo enim judicari ex parte potest de chirurgi diligentia & peritia, hinc utile, ut chirurgus, qvi defunctum curavit, interrogetur: qvale hoc sit emplastrum? (3.) Anteqvam initium fit sectionis, gladius 83.
vel telum inqvisiti aptari solet vulneri, qvo eo certior judex reddi possit, an hoc instrumento vulnus illatum sit, prout monet Classen. *ad art. 149. circa fin.* Quod præcipue attendendum, si plures strictis gladiis, contra occisum pugnan-

84 nantes, visi sint. Circa qvod monendum, præcipue indu-
sium cum instrumento lethifero conferendum esse, accura-
tius enim in linteo, qvam in carne, teli convenientia ob-
servabitur, cum orificia vulnerum à chirurgis vel medica-
85. mentis dilatari possint. (4.) Cavendum Chirurgis, ne stylo præ-
cipue ferreo, & acuto vulnerum profunditatem inqvirant,
cum vulnera dilatari possint Illustris D. Stryk. *in Tr. d. J. Sens. Diff. 1. cap. 2. n. 34.* Ubi meminit: immissionem acuti Stryli, à
medicis, ad inspectionem adhibitis, summoperè vituperatam
fuisse, ubi enim sectum cadaver. in pulmonibus diversa
vulnera reperiebantur, adeo ut non constaret, qvod in-
86. strumento illo, qvodnam vero gladio datum. Multo minus
ergo digitos immittere debent vulneri, ad sanguinis fluxum
sistendum, qvia vulnus, & venæ vel arteriæ sciſſæ uiterius
87. dilatari possunt, (5.) Denominandæ & describendæ sunt
omnes partes corporis vulneratæ, per qvas ictus transiit,
qvatenus & qvousqve laceratæ sint, musculi, nervi, tendi-
88. nes &c. Si plura sint vulnera (6.) Singulis telum applican-
dum, ac singula accurate describenda, corpusqve consi-
89. derandum an in eo tumor, vel livor conspiciatur. Et de-
niq; supra *n. 37.* monui: omnia interna viscera probe lustranda
esse, qvo constet an vitio aliqvo naturali fuerint affecta,
qvod mortem accelerare potuisset.

90. Peracta legitimè insinuatione seqvitur Judicium me-
dicum de vulneris lethalitate, qvod si eo collimet; hæmor-
rhagiam, adhibita licet omni opera humana, probabiliter
sisti non potuisse, capitalis fertur sententia, si vulnus do-
lose fuerit illatum. Hæc duo enim ad capitale reqviruntur
91. suppliciũ, ut homo dolo vulneratus & ex vulnere mortuus sit.
Animus enim dolosus ad occidendum vel vulnerandũ reqvi-
ritur, qvia in criminalibus lata culpa nunqvam comparatur

dolo

dolo *l. in lege Cornelia 7. ff. ad. L. Cornel. d. ficar.* Si vero adsint arma lethifera, & animus lædendi, licet non adfuerit animus occidendi, hic tamen per animum nocendi explicatur, adeoqve capitale supplicium decernitur, juxta sententiam in praxi receptam Carpz. *Qv. 1. n. 53.* Brunn. *ad. l. 1. C. ad L. Cornel. n. 4.* 92.

Si ergo constet de animo occidendi, vel vulnerandi, & Medici juratò deponant hæmorrhagiam probabiliter inhiberi non potuisse, homicida gladio punitur. Et juxta *Constit. Carol. Art. 137.* Homicidium quod ex insidiis fit, qvando qvis alterum clam & latenter armis lethiferis invadit, vel sub prætextu fictæ & simulatæ amicitiæ, alterum nihil adversi metuentem occidat, qvod homicidium proditorium, à qvibusdam vocatur, qvale Joab bis commisit in occidendo Abner 2. Samuel 3. v. 27. & Amasa 2 Samuel. 20. v. 9. 10. Hoc proditorium inqvam homicidium da man einem tückischer und schelmischer Weise ermordet / juxt. *Const. Crim. Art. 137.* rota punitur, simplex vero homicidium, qvod ex ira quadam committitur, pœna gladii afficitur *d. Art. 137.* In praxi tamen sola gladii pœna homicidis deliberatò & proditoriè delinquentibus dictari solet, nisi gravissimæ concurrant circumstantiæ, quo casu cadaver rotæ imponi solet Carpz. *qv. 7. n. 37. seq. ibiq; præj.* Vel nisi homicidium in latrocinium, assassinium, parricidium, veneficium &c. incidat, quibus casibus gravior pœna inqvisito imminet, qvæ tamen delicta excutere, ab instituto alienum. 93. 94. 95. 96.

Si autem dolosum, judicetur homicidium, & hæmorrhagia lethalis, pronuncietur, gladii pœna decernenda, licet vulneratus post longum intervallum mortuus sit Gail. *L. 2. Obs. 111. n. 9.* Meier. *in Coll. Arg. tit. ad L. Cornel. de Sicar. th. 10. in med.* Carpz. *Qv. 26. n. 26.* Farinac. *Qv. 127.* 97.

98. *n.* 11. & ab his longa ſerie allegati: Multi eqvidem Doctores ad dies reſpiciunt criticos, cum v. in nulla lege certi dies critici ſint approbati, nec Doctores in iis determinandis convenire potuerint, qvidam enim biduum ſtatuunt vid. Ayrer. *de Homicid. part.* 2, *n.* 52.

99. Quidam triduum decerunt vid. Farin. *Qv.* 127. *n.* 35. *ibiq; all.* Boër. *Dec.* 323. *n.* 11. *ibiq; longa ſerie adducti. Dd.* Quidam diem qvintum ut criticum agnoſcunt Boër. *d. Dec. n.* 11. Ayrer. *d. Homicid. p.* 2. *n.* 55. Farin. *d. l. n.* 37. Cruſ. *d. Indic. part.* 2. *Cap.* 28. *n.* 9. Octavum alii eligunt Farin. *d. l. n.* 39. Ayrer. *d. l. n.* 54. Böer. *d. l.* Cruſ. *d. l.* Decimum ſubſtituunt quidam Claſſen. *ad C. Crim. Art.* 147.

100 Communiter tamen diem obſervant XL. Farinac. *Qu.* 127. *n.* 46. *Cruſ. d. l.* Et hos ſeqvitur acutus ille criminaliſta Matthæi *de Crimin. tit. de Sicar. n.* 18. ibi: *Mores tamen & judiciorum praxis, ne ea diſputatio perpetua eſſet, dierum XL. præſcriptione eam excludi voluerunt, ut qvi diem qvadrageſimum attigiſſet, non vulnere, ſed fato mortuus credatur.* Eandem ſententiam fovet Jul. Clar. ſentent. L. 5. §. Homicidium *n.* 44.

101. Alii duos menſes conſtituunt Farin. *Qv.* 127. *n.* 45. Alii octo menſes numerant, qvibus elapſis vulnerans ſecurus ſit Farin *d. l. n.* 40.

Alii verò annum eligunt Farin. *Qv.* 127. *n.* 42. Carpz. *Qu.* 26. *n.* 19. Alii verò ad triennium, diem criticum extendunt Carpz. *d. n.* 19. Farin. *n.* 44.

102. Alii nullum longum temporis intervallum attendunt, ſi ad fuerit perſeverantia de malo in pejus Maſcard. *d. probat. Concl.* 1079. *n.* 5. Boër. *Dec.* 323. *n.* 13. & 16. Qvi Boër. late perſeqvitur hoc thema, qvando homo præſumatur ex vulnere mortuus.

103. Ex dictis facile patet doctrinam dierum criticorum eſſe

esse incertam, spinosam & inutilem, cui medela paratur, si dixeris ex unanimi hodierna praxi, totum hoc negotium Medicis committi, qvi si constanter dicant, ex fundamentis artis sperari non posse, talem hæmorrhagiam sisti posse, illis tanqvam in arte peritis, credendum, & pœna ordinaria, suppositis reliqvis reqvisitis, dictitanda.

Medici vero recentiores & experientissimi ad tempus, 104
per qvod superstes mansit, respicere non solent, si ex inspectione certi sint de vulneris qvalitate, sed texturam, & remedia applicandi possibilitatem attendunt. Dn. D. Bohn. *de renunciat. Vulner. pag.* 143. ibi: *Multo minus ex temporis, à vulnere illatò, diuturnitate negativè deponendum, i. e. vix seqvitur: periit demum post nonum, vigesimum, aut trigesimum diem, aut totidem septimanas vulneratus, E. non vi Vulneris occubuit.* Prostant enim exempla, qvod in ipso corde vulneratus se melius habere cœperit, & sexto demum die mortuus sit, Ephimer: Germ. *Decur. 2. ann. 3. Obs.* 114. Hinc vulnere lethali 105
pronuntiato, pœna gladii dictata fuit, licet vulneratus XII. demum die mortuus fuerit Carpz. *Qv. 26. n. 27.* Vel die XVI. Carpz. *d. l.* Et vena jugularis interna Secta absolute lethalis judicata à Facult. Medic. Lipsien. d. 3. Aug. 1685. Licet vulneratus XIX. die demum mortuus sit, qvod cauterisationi adscripserunt, hinc homicida qvoqve Gustrovii capite truncatus fuit. Qvæ sententia *arg. l. 51. §. rursus ff. d. Leg.* 106
Aqvil. confirmatur *qvod scil. occiderint non solum qvi ita Vulnerassent, ut confestim vita privarent, sed etiam hi, qvorum ex vulnere certum esset, aliqvem vita excessurum & l. 21. §. 1. ff. eod.* ibi: *Mortiferè vulneratus & postea post longum intervallum mortuus.*

Nec obstat hæmorrhagiam gravem das starcke Bluhten 107
oder Verbluhten accidens esse vulneris, adeoq; pœnam extra-

traord, dictitandam esse, hoc enim accidens necessario semper comitatur venam & arteriam laceratam, adeoq; ipsi vulnerationi, hæmorrhagia, qvæ sisti non potest, imputatur.

108 Si ergo medici hæmorrhagiam vel vulnus dixerint lethale, non attenditur, qvod vulneratus noluerit adhibere curam, & à medicis vel chirurgis peritis mederi, Gail. *l. 2. Obs.* 111. *n.* 20. 21. Carpz. *Qv.* 26. *n.* 26. Farin. *Qv.* 127. *n.* 12. Nec excu-

109 sat homicidam, qvod medicus vel nullus, vel imperitus fuerit adhibitus dict. Ddres. Vel qvod medici & periti culpam in curando monstrare voluerit, *dd. Ddres.* Prædominatur enim præsumptio, qvod vulneratus ex vulnere decesserit Zachias *Qu. Med. Leg. Lib.* 5. *Tit.* 2. *Qu.* 3. *n.* 3. Certum enim hominem fuisse moriturum, Gail. *d. l. n.* 21.

110 Grave autem nascitur dubium, an pœna ordinaria locum habeat in Titio, si hic sempronium lethiferè vulneraverit, Mevius vero eundem plane occiderit, Ex Constit. criminali certum: si duo vel plures vulnera alicui lethalia dederunt, ita ut singulorum ictus lethales sint, singuli qvoqve

111. pœnam luunt capitis *C. Crim. Art.* 148. *ibi:* wehre aber der entleibte durch mehr / dann einen / die man wüste / gefehrlicher weiße tödlich geschlagen / geworffen und verwundet worden / und man könte nicht beweißlich machen / von welcher sonderlichen Hand und That er gestorben wehre / so seynd dieselben / so die Verletzung / wie obstehet / gethan haben / alle alß Todtschläger vorgemeldter massen / zu dem

112. Todte zu strafen. Qvi textus cum admodum sit perspicuus hinc in pronunciando omnino observandus est Carpz. *Qu.* 25. *n.* 28. *seq.* Qvi *n.* 30. *& 31. præj. allegat.* idem agnoscit Berlich. *P.* 4. *Concl.* 11. *n.* 34. Licet ipse contrarium subjiciat præjudicium add. Mev. *ad J. Lub. part.* 4. *Tit.* 8. *Art.* 8. *n.* 2.

Cum

Cum vero Const. Crim. Art. 148. expresse dicat. Und 113
man könte nicht beweißlich machen von welcher sonderlichen Hand und That er gestorben wehre. Nos vero supponamus, certum esse Titium primum vulnus lethale inflixisse, postea vero Mevium, Sempronium lethaliter jam vulneratum, plane occidisse, hinc ex Const. Crim. hic casus non videtur decidendus, sed recurrendum ad jus commune, ejusq; juris interpretes. In quo casu admodum dubio, si Paulum audiamus in *l. Item Mela 11. §. 3. ff. ad L. Aquil. Celsus*, inquit, 114
si alius mortifero vulnere percusserit, alius postea exanimaverit, NB. priorem quidem non teneri, quasi occiderit, sed quasi vulneraverit, quia ex alio vulnere periit, posteriorem teneri, quia occidit. Ejusdem opinionis fuit Ulpian, *in l. Huic scripturæ 15. §. 1. ff. ad L. Aquil.* ibi: *Si servus vulneratus mortiferè postea ruina, vel naufragio. NB. vel alio ictu maturius perierit, de occiso agi non posse, sed quasi de vulnerato.*

Dictis textib. admodum claris perspicuè contradicit Julian. 115
in l. Ita vulneratus est 51. pr. ff. d. L. Aquil ibi: *si quis servo mortiferũ vulnus inflixerit, eundemque alius ex intervallo ita percusserit, ut maturius interficeretur, quam ex priore vulnere moriturus fuerat. Statuendum est: utrumque eorum lege Aquilia teneri.*

Quam antinomiam ut tollerent Dd. statuunt *l. 11. §. 3.* loqvi 116.
de vulnere non certo lethali, sed dubio *l. 51.* vero agere de vulnere certo lethali, idq; ex *d. l. 15.* Confirmare conantur, per verba: *non est passa ruina apparere, an sit occisus.* Zœs. *ad ff. tit. ad L. Aqvil. n. 22.* Matth. *de Cr. tit. de sicar. n. 19.* W. *ad ff. tit. ad L. Aq. th. 14.*

Verum si dicendum qvod res est, hæc conciliatio omni 117
destituitur fundamento, si enim supponas Paulum *in d. l. 11. §. 3.* loqui de vulnere certo non lethali, lex destituta esset ratione dubitandi, qvod dici non potest, cum ipse Paulus de casu dubitasse videatur, aliosq; JCtos in testimonium adducat, & hanc opinionem probabiliorem vocet; quod dicere 118

119 non posset, si decisio per se esset clara. Nec juvat hanc explicationem *d. l.* 15. §. *1.* cum non tantum casum de ruina, sed etiam casum, *si alio ictu maturius perierit*, decidat, hoc certe casu de prioris vulneris lethalitate constare poterit. Hinc cum Cujac. *in explic. d. l.* 51. *tom.* 1. *pag.* 2305. Dissensum JCtorum agnoscere videtur Brunn. *ad l.* 51. *n.* 3.

120 Quas difficultates aliis tollendas lubens relinquo, ad praxin, & utilitatem me conferens, quærendo: quænam sententia, in casu proposito criminali, sequenda sit, an Pauli & Ulpiani, an Juliani? & JCtus à pietate omnibus com-

121 mendatus, nunc beatus Brunn. *ad d. l.* 51. *n.* 7. Sed si criminaliter, *inquit*, agendum esset, & hæc causa decidenda, prior ordinariâ pœna non affligeretur, qvia ex ejus vulnere, licet lethali, non est mortuus. Qvæ sententia in *c. crim. Art.* 148. fundata videtur, ducto argum. à contrario sensu, qvod in

122 jure dicitur fortissimum *l.* 1. *pr. ff. d. offic. ej. cui mand.* Qvam opinionem etiam fovet celeberr. Tiraqvell. *de pæn. temper. caus.* 61. qvi ex Baldo refert, advocatum qvempiam consuluisse alicui, qvi alterum lethaliter vulnerasset, ut illum faceret interimi per tertium, ut pœnam mortis evaderet. Add: Covarr.

123 *ad clem. si furiosus de Homicid. part.* 2. §. 2. *n.* 4. *pag.* 588. Boër. *Dec.* 323. *n.* 9. *initio*. Sed prioris advocati dignum præmium laqveum fuisse ex Bald. recens. Tiraqv. *d. l.* Recte tamen sensit Jul. Clar. *sentent. L.* 5. §. *Homicidium n.* 46. Si ex mandato primi vulnerantis, vulneratus ab alio plane occidatur, utrumqve pœnam capitis luere, qvia mandans & mandatarius eadem pœna tenetur, cui & advocatum jungo, cum hic sit primus mandans Boër *Dec.* 323. *n.* 9. Clar. *d. l.* in delictis enim consilium speciale degenerat in mandatum Boër. *Dec.* 323. *n.* 9.

124 Mevium vero posteriorem lethaliter vulnerantem & plane exanimantem, pœnam capitis luere argumenta ex *l.* 11. §. 3. *l.* 15. §. 1. *l.* 51. *pr. ff. ad L. Aquil.* & ex *c. Crim. Art.* 148. ducta, liqvi-

liqvido evincere videntur Tiraqv. *d.l.* Boër. *d.n.9.* Clar. *d.l.* Brunn. *d. l.* Verum enim vero permulti Doctores principia penitus diversa, & dictis contraria fovent, qvod scil. occidisse dicatur is demum, qvi primum vulnus per se lethale intulit, cæteri vero qvi deinde percusserunt, non hominem, sed cadaver potius percussisse videantur, docente Berlich. *p.* 4. *concl.* 11. *n.* 35. *vs. Et licet* Menoch. *L.* 2. *d. A. J. Q. Cas.* 362. *n.* 18. Harpr. *ad §.* 5. *J. de Publ. Judic. n.* 110. Gilhaus. *in arb jud. crim in. cap.* 2. *tit.* 12. 21. 125 126

Ex qvibus tam contrariis fundamentis, dum & primus lethiferè percutiens insignes habet defensores, posterior vero nec minoris autoritatis JCtos pro vita conservanda adducere possit, sequitur tertia opinio, quod neuter eorum capite sit puniendus, qvam opinionem in terminis tovet Menoch. *L.* 2. *d. A. J. Q. Cas.* 36. 2. *n.* 11. *infin.* 127

Qvarta deniq; opinio est, si primum vulnus certo fuerit lethale, & postea alius mortem vulnerato acceleraverit alio vulnere lethali, utrumq; pœna homicidii ordinaria esse afficiendum. Jul. Clar. *L.* 5. *sentent. §. Homicidium n.* 46. *vs. Aut erat.* 128

Nos salvo aliorum Judicio, utrumq; pœnam capitis luere statuimus, nisi posterior tam diu percutiat lethaliter vulneratum, ut animam in continenti exspiret, sic ultimum tantum pœna capitis plectendum esse, in cathedra defendemus. 129

Et cum paginæ hujus capitis expectatione citius excreverint, vela contrahimus, monstratui paucis effectum hæmorrhagiæ lethalis, si culpa alteri causata, qvalis obtineat pœna, an detur act. L. Aqvil. & an hæc cum act. L. Cornel. concurrat? 130

Hæmorrhagia lethalis culpa alteri causata pœnam meretur arbitrariam Carpz. *qv.* 27. *n.* 26. *&* 32. Regulariter tamen culpa, nequidem lata, pœna afficitur corporali. Farin. *d. pœn. temper. Qu.* 87. *n.* 72 Carpz. *d. l. n.* 33. Boss. *in crim. tit. de defens. reor, n.* 68, Tiraq. *d. pœn. temp. caus.* 14. *n.* 1. Sic homo ex lasci- 131

via alium occidens per qvinquennium relegatur *l. 4. §. 1. ff. ad L. Cornel. d. ſicar.* plura exempla refert Schilt. *ad ff. Exerc. 49. §. 124. Pag. m. 137.*

132. Imo ſi qvis in colluctatione licita conſtitutus ſit, & ſine dolo aliqvem occidat, ſine pœna dimittendus eſt, per text. expr. *l. qua actione 7. §. 4. ff. ad L. Aquil.* Harpr. *ad §. 5. J. d. publ. Jud. n. 231.* Quo refero ominoſum regicidium Comitis Mongomerii, qui in haſtiludio Regem Galliæ Henricum II. d. 30. Maj. 1559. occidit. vid. plurib. Thuan. *Hiſtor. Lib. 22. anno. 1559. circa fin. pag. m. 1019* Licet hic comes Mongomerius, quindecim annis poſt, perduellionis accuſatus & condemnatus ſit, quod publicæ calamitatis invidiæ potius; quã crimini proprio Mongomerii adſcribit d. Thuan. *L. 58. anno. 1574. pag. m. 12.*

133 Si liber homo occiſus ſit, non datur actio L. Aquil. *l. 36. §. 1. ff. ad L. Aquil. arg. l. 5. §. 5. in fin. ff. d. his qui effuderint* qvia in libero homine nulla corporis æſtimatio fieri poteſt, juxta

134 Ulpian. *l. 1. §. 5. ff. d. His qui effud.* vidua tamen & liberi, marito vel patre occiſo, agere poſſunt actione L. Aqvil. utili, ratione operarum mariti vel patris, quibus carent, & carituri ſunt, & ratione impenſarum in vulneratum & mortuum factarum Excell. JCt. Dn. D. Hopp. *in Comm. Inſt. ad pr. J. d. L. Aquil.* Harpr. *ad §. 10. J. d. L. Aquil. n. 10.* Bocer. *Claſſ. act. 4 Diſp. 2. th. 36.*

135 *lit. A.* Colleg. Argent. *tit. ad L. Aquil. th. 11. n. 5.* Weſenb. *eod. tit. n. 7.* Brunn. *ad l. 15. ff. d. t. n. 4.* qvæ operæ, ratione habita ætatis, dijudicandæ Vinn. *ad pr. J. d. L. Aquil. ad vb. alienum hominem.* Imo & patri utilem hanc actionem concedunt, ſi filius ſit occiſus *arg. l. 7. pr. ff. ad L. Aqvil.* Coll. Argent. *d. l. n. 4.* & ſic ju-

136 dicatum refert Mev. *P. 1. Dec. 211.* Deniqve ſi hæmorrhagia lethalis dolosè cauſata ſit, Vindicatio ex L. Cornelia & L. Aquilia ſimul inſtitui poteſt, juxta Brunn. *in proc. inquiſ. cap. 9. n. 65.* Qvo ſatis fiat & reipubl. & viduæ vel orphanis. Cujus elegans exemplum refert, Brunn. *d. n. 65.*

CAP.

CAP. III.

DE HÆMORRHAGIA PER ACCIDENS LETHALI, NULLA CONCURRENTE CULPA HOMINIS.

SUMMARIA.

Hæmorrhagia per accidens sit lethalis 1.
Probatur ex lethifera venæ sectione 2. seqq.
Idemq; in majori vulneratione evenire solet 5.6.
Ut quandoque de mortis causa non satis constet 7. seq.
Hinc homicidæ ad vulnus per accidens lethale confugiunt. 9.
Quia ex hoc pœna ordinaria non dictitatur 10.
Licet enim jure Roman. solus animus occidendi capite punitus sit 11. seq.
In praxi tamen aliud receptũ 13. seq
Quæ probatur ex sacris, recta ratione, & Const. crimin. 15. seqq.
Ex vulnere per accidens lethali vulneratus non censetur mortuus. 20.
Quod certum si culpa concurrat, de quo capite seq. n. 21.
Si nulla culpa concurrat, major dubitatio n. 22.
Quæ sit Hæmorrhagia per accidens lethalis 24. seq.
Cas. 1. Si alicui palma os nares q; fracta, ut vulneratus hæmorrhagia exspiraverit, proponitur n. 26.
Hæmorrh. narium quando q; lethalis 27.
Regulariter vix vulneris nomine venit. 28. seq.
Hinc L. XII. Tab. pecunia puniebatur 31.
Ergo nec hodie pœna ordinaria secum habet 32. seq.
Simile quid in Cas. II. si lapidis jactu os nares q; fractæ. 38. seq.
Si v. lethale judicetur recurrendum ad animum occidendi, qui ex jactu lapilli nõ præsumitur 41
Casus referuntur, in quibus ex alapa mors successit 44. seq.
Rejiciuntur tanquam rariores 47.
Idem juris III. Si pugno vel armis lethiferis nares fractæ sint. 48. seq.
Nisi vulnus fuerit lethale 50.
Cas. IV. In marito, qui vetulæ mortẽ ictu securis acceleravit, vulnere per se non existente lethali 51. seq.
Rationes pro extraordinaria 54.
Dist. inter propositum occidendi & animum vulnerandi 56. seq.
Illud gladio punitur, licet mors sequatur ex vulnere nõ lethali 58. sq.
Hic extraordinem 62. seqq.
Cas. V. De vulnerato in brachio vel pede, sine hominis culpa mortuo. 72
Qualia vulnera non judicantur lethalia. 73 seq.

Hinc JCti ultra relegationem non procedunt 76. *& toleratur* 82.
Capitis dictatur doloso homicida 77
Marito uxorem venæ sectione occidenti rota dictatur 78. *seq.*
Cas. VI. Si debilis vulnere non lethali mortuus. 83.
Dissentientes & Medici & JCti & LL. adducuntur 84. *seq.*
Insidiosus homicida hoc casu capite puniendus - - - 94.
Illustratur exemplo vespillonum, qvi tempore pestis in extremis constitutos occidunt. 95.
Eademqve pœna in alio homicida doloso simplici, si vulnus lethale. - - - 97.
Si non lethale mitior 98.
Dicta applicantur ad senes decrepitos vulneratos 100.
Fœminæ tamen non censentur debiliores viris, 101.
Cas. VII. Si quis morbosum vel ægrotum vulnere non lethali occidat. - - 102
Illustr. exempl. 103 *seq*
Damhoud. sententia pro ordin. rejicitur 105. *& contraria variè illustratur* 106. *seq*
Cas. VIII. Si qvis ex febre superveniente moriatur. 119
Utriusq; sententiæ fundamenta pro ordinaria & extraord. pœna adducuntur. 120. *seq.*
Dist. inter vulnus per se & per accidens lethale. 128. *seq.*
Idemqve juris si pestis superveniat - - 134. *seq.*
Vel gangræna 136. *seqq.*
Vel epilepsia 139.
Casum IX. suppeditat, vulneratus, qui ex ira moritur & subdist. 3. Casus - 140.
(1) *Cas si qvis ex proposito aliquem ad iram ad internecionem usqve commoveat* - - 141.
Qvi ordinariè puniendus 142. *seq.*
Aeu qvis in continenti occidi potest. - - - 146.
Illustratur exemplo si qvis alterum de ponte præcipitaverit 147
Vel fame necaverit 148.
Vel ægrotum dolo deseruerit 149.
Vel fauces compresserit 150.
Vel scalas pisis conseminaveritisi
In praxi tamen cas. 1. raro capite punietur 152. *seq.*
(2.) *Casus si mors tam à vulnere qvam ex ira accersita esse possit.* - - 154. *seq.*
Iræ effectus - 156. *seq.*
Qvoties in dubio versamur pœna erit extraordinaria 162.
Casus qvidam lectoris judicio relinqvitur - - 163. *seq.*
(3.) *Casu, si vulnus non fuit lethale extraord. obtinet* 165. *seq.*
Cas. X. Si non lethire vulneratus terrore fere moriatur 168.
Ex gaudio mors - 169.
Terrore mortis Hæmorrhagia lethæ-

thalis fictitur - 170.
Mulier 1681. cometam videns terrore moritur - 172.
Ex terrore morbi 173. seq.
Metus mortis canitiem affert - - - 175 seqq.
Ad mortem damnati sunt fere mortui - - 180. seq.
Hinc concludendum, quod homo in dubio mortuus sit ex terrore. 182.
quidam terrentur sanguinis profluvio - - 184.
Exemplum maleficii decollationem adspicientium. 185.
Animi deliquium ex venæ sectione - - 186.
Imo ex imaginaria venæsectione 187.
Cas. XI. in eo, qui aliquem titillatione extinxit. 189.
Ex risu mors. - 190
Ex risu pleuritis - 191
Ex basis ac titillationibus mors 192
Titillans capite puniendus, si dolus probetur - 194
Alias mitiori pœna 195.
Cas. XII. Si morsu hominis homo sit læsus? - - 196
Dentes irati esse arma lethifera. - - - 198.
Imo venenata 199. ibique exempl. extraord. tamen dictatur 201.
Nisi liquido animus occidendi probetur. - - - 202.
Cas. XIII. Si vulnus in eo loco vel eo anni tempore sit Lethale 203.
Florentiæ capitis vulnera lethalia non Romæ - - - - 204.
Aer frigidus nocet cerebro 205.
Omnis q3 aeris constitutio mutare potest vulnus - 206
Imo hoc variat variis annis 207
Quidam annus parturientibus fatalis - - 208.
Forensis delinquens judicatur juxta leges Loci in quo deliquit illustr. exempl. adulteri 212
Idem ergo in homicida 213
Cum attendendum quid hic lethale - - - 214.
Dicta admittuntur in præmeditato, non subitaneo homicidio 215.
Cas. XIV. Si vulnus in se non lethale propter situm sit lethale? - - - - 217.
Et hoc revera lethale per se 218. seq.
Cas. XII. si locus vulnerationis inveniri non potuisset ejusque exempla 220. seq.
Quæ per se lethalia 223.
Cas. XVI. si vulnus nimis angustum. - - 224.
Dilatandum - - 225.
Alias lethale per se 226
Cas. XVII. Si vulnus sit nimis magnum 227
JCti ferè omnes & quidam medici inde præsumunt lethalitatem - - 228. seq.
Tota doctrina de præsumt. rejicitur si agatur ad pœnam capitis 229.
Hinc ad medicos recurrendum 231.
Qui ex sola magnitudine vulnus

non judicant lethale. 232
Caſ. XVIII. Si homo ex multis vulneribus non lethalibus exſpiraverit? - n. 233.
Et quid ſi plures hæc vulnera intulerint? - 234.
Diſt. inter conſpirantes in necem, & non conſpirantes, illi omnes capite puniuntur, 235.
Propter unum hominem occiſum plures occidi poſſe, n. 236. ſeq.
Ampl. licet unum vel plura vulnera fuerint lethalia 239.
Nec conſtet quis ea intulerit, 240.
à vulnere lethali argumentatur ad plura non lethalia. 241. ſeq.
Quia diſt. vulneris per ſe & per accidens lethalis; non pertinet ad inſidiatores. 243.
Dd. in terminis adducuntur 244.
Quidam Ddres idem ſtatuunt in vulnerantibus in rixa 245. ſeq.
Eorum fundamenta. 247 ſeq.
Contraria firmatur Autoritatibus. - 249.
Et rationibus - 240.
Contraria refutantur. 251.
Quid ſi Idem plura intulerit vulnera. - 254.
Si animus deliberatus occidendi adſit pœna eſt ordin. 255.
Si in rixa armis lethiferis uſus pœna gladii immunet. 357. ſeqq.
Contrarium probatum. 261.
Quia varia ſymptomata ſupervenire potuerunt. - 262.
Exemplum, quod 23. vulneribus affecta curata ſit 263.
Hinc extraord. adjudicatur. 264.
Caſ. XIX. Si vulneratus ob inopiam manus medicæ hæmorrhagia mortuus ſit 266.
Qui ex vulnere mortuus videtur. - - 268.
Extraordinaria tamen dictatur. - - 269. ſeq.
Quia JCti ſequuntur medicos. 273.
Medici vero hoc vulnus dicunt per accidens lethale. 274.
Caſ. XX. Si ex percuſſione cecididerit percuſſus in lapidem & vulnus acceperit lethale, an percuſſioni per ſe adſcribendum. - - 277.
Medici vulnus pronunciabunt lethale 278. ſed JCti in hoc caſu recedunt à medicis. 279 ſeqq.

1. HÆmorrhagiam qvandoq;, per accidens, fieri lethalem extra controverſiam poſitum, finge enim venam à chirurgo, valetudinis cauſa, fuiſſe ſectam, tempore nocturno vero venam recruduiſſe, hominemque ſomno ſuppreſſum, ob nimiam hæmorrhagiam
2. periiſſe. Quis hæmorrhagiam ex venæ ſectione oriundam, per

se dixerit lethalem, & tamen homo ex ea mortuus est, nec adeo rara sunt exempla, qvod propter infelicem venæ sectionem, homines in summum vitæ discrimen fuerint conjecti, cujus vel regium afferre possem exemplum, ex celeberr. Paræo *oper. chirurg. Lib. 9. cap. 38. qui Carolo. IX.* inquit, *Gallorum Regi, febricitanti, sanguinis detractio præscripta est, ad quam celebrandam vocatus est Chirurgus, cujus operis gloria famatissimus: sed is, cum forte fortuna nervum, pro vena pupugisset, exclamavit Rex; dolorem se eo loci ingentem percîpere. Tum ego edixi, ut extemplo vincula solverentur, alias brevi, in altum tumorem actum iri brachium. Sed cum id segnius fieret, ecce tumor invasit brachium, cum contractione tanta, ut flectendi, aut exporrigendi non esset libertas, dolor vero sævus non punctam modo particulam, sed & totum membrum habebat.* Et recentiora probant exempla, homines ex infelici venæ sectione mortuos esse, qvalis casus mens. Nov. anno. 1675. oblatus est Fac. Medic. Lips. teste Amman. *in prax. vuln. lethal. Decad. 3. Hist. 9. ibi:* Biß endlich ein delirium, cum tremore & convulsione dazu geschlagen/ und er also den 15. Tag/ nach dem unglücklichen Aderlassen/ gestorben. Similis tragœdiæ recordatur Paræus *in chir. d. Lib. 9. cap. 38. pag. m. 319* qvod homo ex malè secta vena, in brachii gangrænam, sphacelumq; inciderit, unde tandem ex vita excesserit.

Qvod cum ita sit in levissima punctura, qvæ fere conspectum effugit nostrum, quis negaret in gravioribus vulnerationibus, simile quid evenire; qvotidiana enim comprobat experientia, multos ab externo, eoque ut videtur nullius momenti vulnere perire Welsch. *in rat. vulner. leth. pag. mihi 96.* Theoph. Bonetus *in Anat. pract. lib 4. sect. 3. Observ. 19. §. 2.* ubi *quidam vulnerati fuere*, inqvit *in partibus ad vitam non necessariis, qvi tamen mortem obiere, vel ratio-*

ne conſtitutionis, temporis, vel cacochymiæ redundantis, & ad partem læſam confluentis, vel aliarum cauſarum. Re vera eadem tempeſtate, eodem anno, imo die, multis æq; periculoſa inflicta fuerunt vulnera, contingit tamen, ut qui gravius fuere vulnerati imo morti adjudicati, aliquando evaſerint; ſublata admirationis cauſa, poſt cadaveris apertionem, NB. nam præter vulnus

6. *alia mortis cauſa manifeſta ſe exhibuit.* Qvi locus cum integrum hoc caput illuſtret, dignus à me judicatus fuit, qui initio ſtatim caſibus ſeqventibus præmitteretur. Hinc bene monent Medici Lipſienſes in reſp. d. 13. Jun. 1624. ibi: Al die weil wahr bleibet/ was Hippocrates Lib. 2. Prorrhet. ſpricht: ex cujusvis generis vulneribus mori hominem contingit, beſonders / weil ſich auch ein Menſch v. g. Auß denen Adern/ die ſonſt mit groſſen Nutz geſchlagen und eröffnet werden/ wegen unterlaſſener/ oder verſaumter Verbindung/ *NB.* Der bluhten kan. Ammon *in Medic. Crit. caſ.* 18. *circa fin.*

7. Verum & Boneti fiducia, quam in ſectione ponit, ſæpe fallit, qvandoq; enim vix manifeſta mortis cauſa demonſtrari potest. Exemplum refert D. Philip. Jacob Sachs *in Ephim. German. Decur.* 1. *ann.* 2. *Obſerv.* 122. *in Schol.* Ubi: *Hoc ipſo* ſcribit, *anno* 1671. *Menſ. April. Vratislav. Ancilla qvædam ſervi cujusdam nimiam jocandi licentiam frænatura, cantharo parvo ligneo circa tempora percutit, qvi ſcalas qvidem deſcendit, in atrio tamen in terram concidit, & exſpirat: aperto capite, interius NB. nulla certa veſtigia mortis cauſæ, inventa fuerunt.*

8. Qvis ergo de certo affirmare auſit, hunc ſervum, ex vulnere, tanqvam ſola, & unica cauſa mortuum fuiſſe. Et hoc eſt, quod monet celeberr. JCtus Theodoric *in colleg. crimin. cap.* 7. *aph.* 1. *n. ult.* Quod qvandoqve, imo non raro, & ipſos medicos latere poſit cauſa mortis, immediatè proxima.

Quod

Qvod cum ita sit, nullum ferè in Germania repe- 9.
rias homicidam, qvi non inter alia defensionis argu-
menta, & hoc utatur: Vulnus ab initio non fuisse sed per
accidens factum fuisse, lethale. Recepta enim inter
JCtos videtur regula generalis: *Qvoties vulnus ex acci-* 10.
*denti factum est lethale, toties homicida pœna ordinaria non
tenetur, seu* Qvoties occisus obiit non ex vulnere, qvod
lethale non fuit, sed ex alia causa & symptomate superve-
niente, toties homicida à pœna ordinaria liberatur Carpz.
Qv. 26. *n.* 1. Theodor. *Colleg. Crim. cap.* 7. *aph.* 1. *n.* 37. Fin-
ckelth. *Obs.* 61. *n.* 3. Boër. *Dec.* 323. *n.* 17. Ayrer. *d. homic. vol. part.*
2. *n.* 69 Gail. *l.* 2. *obs.* 111. *n.* 22.

Ratio in aprico, ut ut enim jure Romano, in homicidiis 11.
voluntas spectetur, non exitus, ut sunt verba *l. Divus Adria-
nus.* 14. *ff. ad L. Corn. d. Sicar.* & hinc, ultore ferro, persequatur
eos, qui hominis occidendi causa, cum telo ambulant §. 5.
J. d. publ. Judic. ita ut nulla penitus distinctio facta sit, an 12.
vulnus per se, an per accidens lethale fuerit per *l.* 1. §. *Di-
vus Hadrianus* 3. *ff. ad. L. Cornel. de sicar.* ibi: *& qvi homi-
nem non occîdit, sed NB. vulneravit, ut occidat, pro homi-
cida damnandum.* Ecce sola vulneratio ad condemnan-
dum homicidam sufficit, licet jure justinianeo mors non
secuta sit immediate ex vulnere.

In praxi tamen sola voluntas occidendi, gladio non 13.
vindicatur, sed insuper desideratur, ut ipsum corpus de-
licti qvoq; adsit, hoc est, ut homo, re vera, ab aliqvo sit oc
cisus Schneidw. *ad* §. 5. *J. d. publ. Judic. n.* 5. Gail. *de pac. publ.
Lib.* 1. *cap.* 14. *n.* 18. Exceil. Dn. Præses *in Synops. jur. priv. tit. ad
l. Cornel. d. sicar. n.* 8. *ibiq; alleg.* Imo generaliter ferè receptũ:
in nullis delictis, nequidem atrocissimis, quantumvis delin- 14.
quens ad actum proximum pervenerit, conatum puniri

pœna ordinaria Harpr. *ad §. 5. J. d. publ. judic. n. 263. ibiq; alleg. praj.* Carpz. *Qv. 17. n. 13.* Excell. Dn. Stryk. *d. Jur. Senſ. Diſſ. 10. cap. 6. n. 36.*

Qvæ conſvetudo, & in jure divino, & recta ratio-
15. ne, fundata, Numer. enim cap. 35. v. 16. ſeqq. requiritur & percuſſio, & ut homo ex ea mortuus ſit *d. c. 35. verſ. 17.* ibi: Wirfft er ihn mit einen Stein (damit jemand mag getödtet werden) daß Er *NB.* davon ſtirbt / ſo iſt Er ein Todtſchläger und ſol des Todes ſterben. Recta ratio
16. quoqve imperfecto delicto mitiorem imponit pœnam, quia pœna infligitur, tum ob peccantis malitiam, tum ob damnum alteri datum. Delicto autem non conſummato, damnum vel nullum erit, vel minus eo, qvod ex delicti profluit conſummatione, mitior ergo pœna delinqventi, hoc caſu infligenda Dn Zigler: *in not. ad Grot. Lib. 2. cap. 20. §. 39. ad vb. Nam voluntas.*

Deniq; hæc praxis liqvido confirmatur *Conſt. Crim.*
17. Carol. V. *Art.* 178. ubi conatus delinquendi, licet qvis, contra voluntatem ſuam impeditus ſit, ordinaria tamen pœna non punitur. Exemplo ſit ſtuprum violentum, qvod ſi con-
18. ſummatum ſit, gladio punitur *C. Crim. Art.* 119. ſi vero violentus invaſor virginitatis, contra ſuam voluntatem, vel per malculam virginis defenſionem, vel alio caſu, impeditus fuerit clauſtra virginitatis effringere, capitis ſupplicium locum non habet *d. Conſt. Crim. Art.* 119 ibi: So ſich aber einer ſolchs obgemeltes Mißhandels / freventlicher und ge-
19. waltiger weiß / gegen einer unverleumbten Frauen / oder Jungfrauen unterſtünde / u. ſich die Frau oder Jungfrau ſein erwehrete / oder vō ſolcher Beſchwernis ſonſt errettet würde / derſelbig Ubelthäter ſol &c. nach Gelegenheit geſtraft werdē.

Fundata hac theſi: qvod hodie in homicidiis non tan-
20. tum

tum conatus, sed exitus qvod; ad infligendam pœnam ordinariam desideretur, seqvitur altera thesis: *Qvod scil. vulneratus, si ex vulnere, per accidens lethali, moriatur, non censeatur ex vulnere mortuus.* Finckelth. *Obs.* 61. *n.* 3. Menoch. *d. A. J. Q. L.* 2. *Cent.* 3. *Cas.* 374. *n.* 11. Theodor. *coll. crim. cap.* 7. *aph.* 1. *n.* 48. Sebast. Guazzin. *in def. reor. defens.* 4. *cap.* 10. *n.* 7. Carpz: *Qv.* 26. *n.* 6. *&* 11. Farin. *Qv.* 127. *n.* 13. Gail. *L.* 2. *Obs.* 111. *n.* 23.

Qvæ sententia perspicuè fundata, in *l. qvi occidit* 30. *§. fin. ff. ad L. Aqvil.* si supponas; hominis culpa extinctum fuisse non mortiferè vulneratum, sic enim façile largior: vulneratum non tam à vulnerante, qvam à medico, aut se ipso, per malum regimen, interfectum, fuisse Carpz. *Qv.* 26. *n.* 11. 21.

Verum de hoc casu *cap. seq.* paucis differere lubet; hoc v. capite lustrare propositum, qvid juris si vulnus à medicis judicetur per accidens lethale, nulla tamen hominis culpa concurrente, qvod thema longe maximis involutum difficultatibus, adeo, ut fere dixerim, propter nimias difficultates, Doctores hoc thema hactenus non tractasse, sed sicco, qvod ajunt, pede, transivisse, subsistentes in regula generali: qvod vulnus perse non mortiferum, sed per accidens lethale, pœnam gladii non mereatur. Ego vero propter casuum maximam diversitatem, certam ac generalem regulam formare non audeo, sed per varios casus, meam opinionem propositurus, aliis, qvid in re, tam ardua, judicandum sit, cogitandum relinqvam, fretus vulgari illo: *In arduis & voluisse sat est.* 22. 23

Qvo vero, felicius progrediar, præmitto hæmorrhagiam per accidens lethalem, sine ulla hominis culpa concurrente, mihi hic esse *talem, qvæ in hoc vulnerato mortem, sine alia hominis culpa, attulit, in aliis vero ita vulneratis mortem afferre non solet, sed ex lege artis sisti & reprimi potest.* v. g. 24.

homo in manu vel brachio vulneratur, præcisis venis & arteriis, atq; hæmorrhagia, antequam medici in auxilium advocari possent, moritur, Er hat sich verbluthet/ und zu tode gebluthet/ehe der Docter und der Balbirer kom-
25. men können/ qvi tamen ex lege artis, si præsto fuisset in tempore Chirurgus, servari potuisset, hanc hæmorrhagiam dicimus per accidens lethalem, qvia vulnus & ex inde prosiliens hæmorrhagia, per se, & absolutè non erat mortifera, sed propter hoc accidens, qvod chirurgus in promtu non fuerit.

26. Nunc omissis omnibus, subtilitatibus, qvâ ratione hæmorrhagia accidens vulneris dici possit, ad casus speciales nos conferimus & quidem Primo loco producimus vulneratum, cui alius palma os naresq; fregit, dem einer mit der flachen Hand eine solche Maulschelle gegeben/ daß ihm Nase und Maul gebluthet, Hæmorrhagiam vero narium tam contumacem qvandoq; existere, ut nullis medicamentis sedari possit, experientia docet vid. Ephem. German. *Dec. 2. ann. 3. Obs. 54. & Dec. 1. ann. 1. Obs. 24. & Dec. 1. ann. 3. Obs. 243.*

27. Hoc vulnus dicimus per accidens lethale, ut ut enim hæmorrhagia narium qvibusdam exsistat lethalis Gualt. Bruele *in prax. medic. pag. mihi 137. ibi: Enaribus autem, tanto subinde impetu profunditur sangvis, ut homo exanimetur, ob magnam copiam sangvinis effusi:* (Qvi in seq. multis agit de hæmorrhagia in specie sic dicta, seu profluvio sangvinis e naribus
28. veniente.) Ut ut inqvam, hæc hæmorrhagia qvandoq; sit lethalis, regulariter tamen ejusmodi vulnus ne attenditur qvidem, sed tanqvam expers periculi vulgo negligitur ut
29. hinc in Saxonia, & ex ea, in plerisq; locis Germaniæ receptũ sit, oris nariumq; hæmorrhagiam, ad Jurisdictionem non altam

altam, sed Bassam, seu inferiorem referri vid. Ord. Prov. Saxon. *d. Ao. 1555. tit.* Was zu Ober-Nieder und Erbgericht gehöret *ibi*: Was aber kleiner und geringe Fälle seyn/ die sollen in die Erbgerichte gerüget und durch dieselben gestrafft und gerechtfertiget werden/ als nemlich: Haar rauffen/ Schläge die nicht tödlich seyn/ noch Lämde bringen/ darauß auch keine Wunde wird/ als braun und blau/ Nasenbluthen/ Maulschellen/ Zahnbluhten &c. Ex qvibus verbis 30.
patet hæmorrhagiam narium non referri inter vulnera lethalia, imo neqvidem vulnerum nomine venire, ibi: darauß keine Wunde wird. hinc leviori qvoq; vindicatur pœna, & ad inferiorem jurisdictionem remittitur. Simile quid invenies, in Bulla Fundationis Academiæ Rostoch. 31

Simile qvid Lege XII. Tabularum qvoq; disposituм fuisse legimus, quod scil. propter os fractum nummariæ tantum pœnæ fuerint constitutæ §. *pœna 7. J. d. Injur.* qvam legem illusit ac calumniatus fuit Neratius, homo malitia atq; lascivia insignis, qvi in deliciis habuit, obviam venientibus alapas dare, & singulis vicibus in continenti, per famulos, eum insequentes, viginti qvinq; asses exsolvi curavit ex dispositione legis XII. Tab. Ex qvo tempore Prætor permisit injuriam passis injuriam æstimare *d.* §. 7. Ex qvo pro- 32.
bo: si qvis tentaverit os cujusdam depalmare, licet ex incivili manuum deosculatione, alter hæmorrhagiâ narium mortuus sit, colaphum tamen impingentem, pœna capitis affici non potuisse, nec hodie posse, qvia alapæ tanta pœna legibus statuta non est, pœna vero, gravior lege, non sit dictanda *l. 8 §. 2. C. ad Jul. d. vi publ.*

Nec adversatur nobis: non levem injuriam dici, 33.
si qvis alteri talem porrigat alapam, ut os naresq; graviſſimè stillent sangvine. L. *Prætor edixit 7. §. ult. ff. d. injur.* ibi: *re atrocem injuriam haberi Labeo ait, ut puta: si vulnus illatum, vel os alicui percussum.* Hoc enim in contro-

34. troversiam nunc non venit, sed hoc, an propter ejusmodi injuriam alteri illatam, injurians capite puniri possit, si infelicior mortis eventus secutus sit; qvod negamus, quia pœna capitalis alapæ non est statuta, qvæ v. per accidens eveniunt, pœnam qvidem extraordinariam aliqvantulum exasperare, in capitalem v. convertere nunqvam possunt.

35. Nec contrariatur sacra pagina *Numer. cap. 35. vers.* 21. ibi: *Si per odium qvis hominem impulerit, aut cum esset inimicus* manu percusserit, *& ille mortuus fuerit, percussor homicidii reus erit.* &c. repono enim, me per manum intelligere: lethalem vulnerationem occisoris, cum in sacris non sit infrequens manum sumi pro potestate, opera
36. ac viribus hominis, sic *Numer. 33.* v. 1. per manum Mosis & Aaronis intelligitur opera Mosis & Aaronis; simili modo *Num. cap.* 35. manu percutere est: Quocunque modo, data opera vulnus lethale alicui inferre, quo in sensu hic lo-
37. cus nostram non infringit, sed potius confirmat sententiam. Nec infrequens est Germ quod dicant: durch dessen Hand die Entleibung geschehen ut sonant verba *Const. Crim. Art. 145.* ex contextu vero apparet, quod non palmam, sed violentam invasionem intelligant.

Similis fere est casus II. si quis lapilli jactu, os na-
38. resqve hominis tanta violentia perierit, ut læsus hæmorrhagia narium, omnibus medicamentis frustra tentatis, tandem extinctus sit, suppono autem incisione, & inspectione legitimè peracta, nullum vulnus, nec læsionem internam, per se lethalem, apparuisse, homicida malitiam capite non luet. Homo enim ex vulnere lethali non periit, sed ex accidenti, qvod hæmorrhagia narium, quæ

alias

alias facile reprimi ſolet, in hoc ſubjecto reprimi non potuerit. Adeoque in noſtro caſu fruſtra diſtinguendum eſſe cenſeo: an lapis fuerit majoris, an minoris qvantitatis, an ictus fuerit gravis, an levis, ita ut projiciens & faciem alicujus petens, de morte facile cogitare potuiſſet, hæc enim maximi omnino ſunt momenti, ſi medici vulnus, lapide, illatum judicaverint per ſe lethale v.g. ſi caput percuſſerit atque ex vehementi concuſſione, ruptura facta ſit in cerebro, ſic vulnus adeſt lethale, adeoque homicidæ defenſor ad quæſtionem illam: an lapide, vulnus lethale inferens, præſumatur animum occidendi habuiſſe, mentis aciem convertat, ſolatiumque in *l. omne delictum §. ſi quis commilitonem ff. de re. milit.* quærat, in qua expreſſe diſtingu. ſi quis commilitonem vulneravit, ſi quidem lapide, militiâ rejicitur, ſi gladio caput amittit. Hinc colligunt Dd. Lapide, lethale vulnus alicui inferens, non præſumitur animum occidendi habuiſſe, Carpz. *Qu. 3. n. 50. ſeq. ubi præj. Theod. coll. crim. cap. 7. aph. 1. lit. H. n. 32. ubi præj. Boff. tit. d. homicid. n. 59.* Farin. *Qu. 126. n. 137.* Qvia lapis regulariter inter arma lethifera non refertur Dd. *à. l.* quod tamen hac vice, ſuo loco relinquimus: ne à propoſito juſto longius recedamus; Hæc omnia enim in noſtro caſu fruſtra diſputantur, qvia ſupponimus aſſertum medicorum, qvod per oris nariumque conqvaſſationem vulnus per ſe lethale non fuerit illatum vid. Paræum *in oper. chir. Lib. 9. Cap. 26.* (ubi de narium fractura ac contuſione) vulneratum vero nihilominus mortuum fuiſſe ex hæmorrhagia, ſic vulnus per accidens lethale dicimus.

Eqvidem hinc inde varia occurrunt exempla comprobantia *ex alapa mortem*. Suo enim jam tempore Hippocrat. *Lib. 5. Epid* refert. virginem illam pulchram

Nerii filiam, cum esset annorum viginti, à muliercula amicâ ludente, lata manu percussam fuisse in sinciput, & tunc qvidem vertigine capta est, & sine spiritu, cum verò ad domum veniisset febri correpta, nona die mortua est Et Hildan. Cent. 6. Obs. 11. observat: qvod anno 1623. 9. Febr. inter pocula & altercationem, civi Hanß-Rust colaphus fuerit impactus, ex qvo mortuus est; Hinc Hildan. d. l. *perquisitione dignum* judicat *quomodo id accederit, quod ex levissima illa causa & casu, mors successerit.* Et ex concussione cerebri venas fuisse ruptas auguratur, & Camerar.
45. *in memor. med. cent. X. obs.* 43. notavit. ibi: ante paucos annos uxorem, acceptâ à marito alapâ, repentè concidisse & exspirasse; Medicus aperta calvariâ, & inspecto cerebro, ejus membranis, reliquisqve vasis, maritum insontem judicasse, Plura vid. in Ephem. Germ. *Dec. 1. ann. 2. Obs. 122. & ann. 6. Obs. 207.* in qua Dn. Carol Rayger Ortâ, inqvit, in vico qvodam Austriæ Junders-Dorff nominato, lite, inter duos venatores, senior juniori alapam dedit, hic illam vindicaturus ensem stringit, prohibent adstantes, remqve inter pocula componunt, succedit, porrigunt dextras, ille deprecatur, hic condonat; At dum junior dextram conciliandi gratia porrigit, senioris volâ in faciem inopinato ferit, en dicendo tibi tuam alapam, statim senex concidit & exspiravit. Captivatus alter & in jus protractus, capitis sententiam qvidem evasit, ad compedes tamen damnatus, in qvibus ipsum vidi in arce Junders-Dorff. Mirabile autem, qvomodo levi ista volæ percussione, nullo alio supervente Symtomate, in uno momento fuerit extinctus. Hæc Rayger.

46. Nos hæc medicis enucleanda relinqvimus, id tamen evidenter probant adducta exempla, qvod vel ex alapa

alapa mors sequi possit, quanto facilius ex ictu lapidis seqvetur, qvia major concussio. Cum tamen hæc sint rariora, propter casum rarissimè contingentem vulnerantem à gladii pœnâ immunem pronunciamus; nam in id, qvod per accidens seqvitur, nullo modo fertur voluntas, nec directè, nec indirectè, ut in simili argumentatur Carpz. *qu. 1, n. 31.* Cui sententiæ subscribere necessum habent omnes Ddres, qvi ex jactu lapidis non præsumunt animum occidendi, *vid. n. 42.* ut & illi, qvi in vulnere per accidens lethali pœnam ordinariam cessare statuunt. *vid. n. 10. & n. 20. h. cap.* 47.

Nec alienus sum ab hac sententia, in *tertio casu*: Si qvis pugno, baculo, gladio vel alio instrumento, ad occidendum apto, graviter nasum, osqve alicujus vulneraverit, ita ut hæmorrhagia insignis reprimi non potuerit, sed vulneratus cum nimio sanguinis profluxu animam tandem effuderit, homicidam capitis supplicium non subire, si medici testentur, vulnus non adfuisse lethale, sed tale, qvod in alio qvovis sanatur, per dictas supra rationes, licet instrumentum fuerit lethiferum, hoc enim ad conatum tantum pertinet, si mors ex ipso vulnere non sequatur, sic enim ex ira, terrore aliave causa mors præsumitur secuta per accidens. Si vero venæ atqve arteriæ, inter nasum atqve palatum, ubi foramina nasi ad palatum transeunt, forte sint vulneratæ, & à medicis renunciatum sit: tale vulnus curari non potuisse, qvod sanguis ebulliens & hæmorrhagia, nulla arte sisti potuerit, longe alia ferenda à JCto erit sententia, cum sic ejusmodi hæmorrhagia ad vulnera lethalia referenda & ex cap. 2. homicidæ sententia ferenda sit. 48. 49. 50.

Dicta hactenus animum suspensum tenent in casu IV. Titius juvenis amore captus vetulæ, vel potius veteris 51

pecuniæ cujusdam anus LX. annos numerantis, eam in uxorem ducit, ſpe lactatus, ſponſam hanc novellam duorum annorum ſpatio, vitam morte, ſuamque egeſtatemopulentia permutaturam, eumqve heredem ex aſſe bonorum inſtituturam eſſe, aſt nelcio qvo fato, ſexagenaria annum explet octuageſimum, invitaqve audit,
52. ſi maritus mentionem faciat; Uxorem annoſam morti nunc eſſe vicinam, tantæ ergo moræ impatiens maritus Titius conſtituit: uxorem occidere, eaqve mente ac intentione, ſummo mane, lectum vetulæ uxoris accedit, ſecuri percuſſurus cervicem ejus, aſt ictus ſecuris natum osqve uxoris frangit, qvæ hæmorrhagia moritur, poſtqvam, excitato clamore famuli & vicini
53. ſuppetias ei tuliſſent, medici cadaver inſpiciunt, vulnusqve per ſe non lethale renunciant, cum in partibus internis nihil laceratum vel læſum invenerint, narium vero venas contuſas ac laceratas, orisqve concuſſionem inſignem, per ſe lethalem non exiſtimant, hinc qværitur: an parricida gladio, an extraordinariè ſit puniendus?

54. Ex fundamentis ſuperioribus dicendum: pœnam obtinere extraordinariam, qvia vulnus per ſe lethale non fuit, moribus enim ſolus animus occidendi non ſufficit, niſi & homo ex vulnere per ſe lethali mortuus ſit v. g. Titius in Mevium ſclopetum, animo occidendi, exonerat, Meviumqve leviter, in brachio, vulnerat, aſt Mevius floccipendit vulnus, hinc gangræna corripitur, mortuorumqve numerum auget, Titius certe, ex praxi jam recepta, ſcelus capite non luit, qvia Mevius non tam ab ictu ſclopeti, qvam propria incuria, & culpa mortuus præſumitur. Ita & in præſenti caſu IV. uxor ſecuri per-
55. cuſſa, non ex vulnere per ſe, ſed per accidens lethali mortua

tua censetur, per accidens vero mortuus, non censetur ex vulneratione mortuus, adeoqve nec à vulnerante occisus creditur.

Quicquid tamen hujus sit, mihi in hoc, omnibusqve similibus casibus, hujus capitis, distinguendum videtur: An vulnerans habuerit propositum occidendi, ita ut clarus, directus & perspicuus appareat dolus, & animus hominem occidendi, an vero animus tantum lædendi & vulnerandi seu indirecta voluntas occidendi, qvæ ex læsione & armis lethiferis colligitur, adfuerit, illo casu, si malitia perfecta, propriaqve homicidii adsit, sufficere credo, vulnus per accidens, in hoc vulnerato, lethale, modo nulla culpa necvulnerati, nec medici, nec aliorum concurrat. Hoc vero casu si tantum armis lethiferis in rixâ usus sit, præcise reqviro, ut homo ex vulnere per se lethali mortuus fuerit, & contra qvot: vulnus per se lethale non fuit, tot: sine directo animo occidendi vulnerantem, à pœna ordinaria, liberatum esse dixerim, licet vulneratus per accidens moriatur. 56. 57.

Prior thesis probatur seqventi ratione: qvoties adest propositum hominem occidendi, & homo re vera occisus reperitur, toties pœna obtinet ordinaria. Sola voluntas enim jure Rom. capite punitur §. 5. *J. d. Publ. Judic.* moribus hoc mutatum, si effectus non seqvatur, si vero homo, sine ulla alia concurrente culpa, moriatur, effectus secutus est, ergo hoc casu, obtinet jus Rom. & pœna ordinaria Bartol. *d. percuss. n. 4. seqq.* Gandin. *Tit. de Homic. n. 13. add.* Dn. Hopp. *in comm. Inst. ad §. 5. d. publ. Judic.* 58.

Secundò recepta Ddrum regula: Qvod dans operam rei illicitæ, teneatur de omni eo, qvod seqvitur præter illius intentionem & voluntatem, si eventus faci, 59.

le prævideri potuiſſet *Carpz. qv. 17. n. 24.* Dn. Stryck. *Tr. de Jur. ſenſ. Diſſ. 10. cap. 6. n. 46.* Qvod ſi ita, ſi præter intentionem pejor eventus ſeqvatur, qvanto magis idem hoc procedet, ſi delinqvens hunc ipſum pejorem eventum intentaverit.

60. Tertio huc facit *Art. 148 C. Crim.* in qvo omnes qvi conſpirarunt in necem alicujus, ad mortem condemnantur, licet non conſtet qvis eorum vulnus lethale dederit, hominem enim occidere voluerunt, & homo occiſus eſt, ergo conſpirans capitale ſubit ſupplicium, licet vulnerato nullum vulnus inflixerit. *vid. infra. n. 240.*

61. Nec caſus de Titio, Mevium ſclopeto vulnerante n. 54. propoſitus, nos moratur, qvia culpa ipſius vulneti vulnus per ſe non lethale, tale factum, de qvo ſermo nunc non eſt, ſed ſupponimus: vulnus in hoc vulnerato mortem attuliſſe, ſine ulla hominis culpa concurrente, licet in aliis vulneratis mortem, ut plurimum, vel neceſſario, afferre non ſoleat.

62. In caſu vero poſteriori, ſi ſcil. animus occidendi directus non adfuerit, ſed tantum animus armis lædendi, & injurias vindicandi, vulnus reqviro per ſe lethale, v. g. maritus uxorem verbi potentem, capulo ſecuris percutit, ejusque os ac nares tanta vehementia claudit, ut mortua, in ævum, tacere coacta ſit, vulnus renunciatur à medicis, per ſe non lethale, interim uxor ſine ulla hominis accedente culpa, ſubitanea morte, correpta fuit, hoc caſu inſulſum uxoris caſtigatorem, pœna extraordinaria dimitterem, qvia animum occidendi directum non habuit, nec uxor tyrannice caſtigata, ex vulnere mortua præſumitur, qvia vulnus per ſe lethale non exſtitit.

Eqvi-

Eqvidem graviter reſiſtit, qvod in Germania recepta 63.
jam ſit illa ſententia, qvod indirecta voluntas homicidium committendi, qvæ colligitur ex animo lædendi, vel vulnerandi, & armis lethiferis, ex qvibus mors facile prævideri poterat, ad pœnam ordinariam æqve ſufficiat, atqve voluntas occidendi directa. Carpz. *Qu. I. n. 28. ſeqq.* Brunn. *ad l. 1. c. ad L. Corn. d. Sicar. n. 3. ſeq.* Hahn. *ad W. eod. tit. n. 9. vb. animo occidendi.*

Cum ergo hactenus ſuſtinuerim directam volun- 64.
tatem occidendi morte piandam eſſe, idem qvoqve defendendum erit in voluntate indirecta. Verum probe notandum qvod Ddres, qvoties de indirecta voluntate, morte punienda, loqvuntur, toties ſemper ſupponunt, vel urgent: vulnus per ſe lethale, ex qvo mors neceſſario ſeqvitur, ſic Carpz. *Qu. 1. n. 31.* ibi: *indirectè autem & per acci-* 65.
dens fertur voluntas in homicidium, quoties fertur in id, ex quo immediatè & per ſe, non peraccidens, homicidium ſequitur. & n. 53. in fin. ibi. *unde poſtea mors neceſſario ſeqvitur.* Et huc traho qvicqvid Ddrum ſchola de vulnere per ſe non lethali ſtatuit.

Aſt ſentire me videor amicum, aurem mihi vellican 66.
tem, monendo: ſupponis nullam hominis culpam in hoc vulnerato, quoad ſanitatem reſtituendam, concurrere, medicos experientiſſimos mox præſentes, optima qvæq; medicamenta adhibuiſſe, vulneratumq; obidientem fuiſſe dictis atq; præceptis medicorum, & nihilominus ex vulnere licet perſe non lethali, mortuum fuiſſe, vulneratũ ergo ſupponis vulneratum immediatè, & per ſe, ex vulnere, fuiſſe mortuum, quicquid enim aliam cauſam non habet, qvam ſolam vulnerationem, illud per ſe & immediatè venit ex vulnere.

Sane

67. Sane non diffiteor vim argumenti, quam violenta Doctorum præsumtione infringere conabor scil. qvod vulnus à filiis Galeni & Hippocratis non pronunciatur per se lethale, toties Justitiæ sacerdotes præsumunt vulneratum ex aliquo accidenti esse mortuum.

68. Cum ergo præsumatur vulneratus, non lethiferè, non ex vulnere, sed ex accidenti mortuus, hinc non per se, immediatè & necessario ex vulnere mortuus censetur & per consequens: pœna ordinaria locum habere non

69. potest. Atqui urges, hac admissa præsumtione, nec dolosus homicida, qvi ex insidiis animo occidendi vulnus per se non lethale intulit, capite puniendus, si homo ex tali vulnere mortuus sit. Sed repeto & concludo discursum,

70. *Qvoties vulnerans animo occidendi ex insidiis hominem vulneravit, toties tenetur de homicidio pœna ordinaria, licet vulnus per se lethale non fuerit, sed per accidens tale factum sit, nulla tamen concurrente culpa hominis*; qvia propter dolosum propositum de omni eventu, tenetur.

71. *Qvoties vero animus dolosus occidendi non apparet, sed tantum vulnerandi vel se vindicandi, toties de homicidio qvod per accidens ex vulneratione sequitur vel sequi penes JCtos præsumitur pœna ordinaria non tenetur*, sed qvia dolus ex facto ipso colligitur, requiritur vulnus per se & absolute lethale.

72. His positis fundamentis, nunc superstruamus varios casus; nostra opinione, alias inextricabiles, Et qvidem V. casus sit: Titium in brachio vel pede fuisse vulneratum, mortuumque sine ulla hominis culpa concurrente.

73. JCti vulnus in brachio non judicant lethale Sebast. Guazzin. *de defens. inquis. Defens.* 4. *cap.* II. *n.* 10. ubi alleg. Corn. *Lib.* 3. *Cons.* 283. Cæpoll. *Consil.* 61. *n.* 16. Bald. *Lib.* 2. *Consil.* 136. *n.* 4. And. Fachin. *L.* 3, *Cons.* 82. *n.* 72. Verum rectius

me

me judice, ad medicorum hæc remittuntur tribunal, ex 74.
medicis enim addicimus, vulnus brachii lethale censeri,
si vena vel arteria axillaris mox sub alis, seu axillis fuerit
lacerata vel discissa D. Bohn. *de renunc vuln. pag. 60. in fin.*
Welsch. *de Vulner. lethal. cap. 14. circa fin. pag. 116.* Qvale 75.
exemplum anno. 1678. d. 12. Januar. contigit. qvod scil,
studioso vasa axillaria, injectione securis, lacerata fue-
rint, qvi intra dimidium horulæ, sub hæmorrhagia enor-
missima è vivis sublatus est, teste oculari Dn. Bohn. *d. l. n. 61.*
Extra hunc casum fere concordant JCti, & medici, qvod 76.
vulnera brachii non sint lethalia per se, nihilominus ex-
perientia testatur, multos vulneratos in brachio mori,
an ergo homicida gladio puniendus, si constet nullam
notabilem culpam, circa curam vulnerati, fuisse com-
missam? certe plurimi JCtorum vix ultra relegationis
pœnam dictitabunt Andr. Fachin, *Lib. 3. Consil. 82. n. 72.*
in fin. Guazzin. *de defens. reor. defens. 4. cap. 11. n. 10.*

Mihi vero dist. repetenda videtur, an vulnerans 77.
brachium habuerit animum occidendi, & hoc fine bra-
chii venas præciderit, ut homo hæmorrhagia extingue-
retur, & pœna gladii dictitanda erit, non obstante re-
nunciatione medicorum: *quod vulnus per se lethale non*
fuerit. Qvod ut eo clarius demonstrem, maritum, fin- 78.
go, uxori suæ vetulæ, vel cujus tædio capiebatur, vinum
adustum, aliudve generosius blandis propinasse ver-
bis, qvo uxor ebria gravi caperetur somno, obtento
hoc fine, pulsum arteriarum exploratur, atqve acu-
tissimo scalpello venam vel arteriam, in brachio, secat, ex
qvo vulnusculo sanguis, vino adusto vel generoso con-
citatus, tanta effluit copia, ut uxor horæ spatio somno
vinoqve suppressa, cum hæmorrhagia vitam fuderit,

maritus mane dissimulat causam mortis, atqve profusi cruoris, conscientia tamen prava perterritus, tandem
79. scelus confitetur. Medici leviſſimum vulnus, in loco ad deliniendum apto, per se lethale, non pronunciabunt, qvia facili negotio, si medicus vel chirurgus præsens fuisset curari potuisset, an ergo ex medicorum doctrina
80. insidiosus parricida extraordinariè puniendus? Me judice, huic marito pœna rotæ dictitanda, qvia uxorem clam, latenter ac insidiosè invadit, ita ut uxor contra inopinatam invadentis vim, nec se ipsam defendere, nec alios in auxilium vocare potuerit, qvale homicidium rota punitur *C. Crim. art.* 137. qvanto majori ergo pœna dignus erit parricida insidiosus, & qvanto astutius homicidium perpetratur, tanto graviori pœna afficiendus meretur. si Deo dirigente, innotescat *arg. C. Crim.*
81. *Art.* 130. Ubi veneno aliqvem clam interficiens, tanqvam latro, rota punitur, qvia ab his insidiis, vix prudentissimus vel fortissimus qvisqve, sibi cavere potest, idem ergo judicium, siqvis tantis insidiis hominem, per venæ sectionem & hinc provenientem hæmorrhagiam, è vivis tulerit.
82. Qvoties vero in vulnerante brachium, animus directus ad occidendum non fuit, toties toleranda hodierna communis praxis, qvod vulnere per se lethali non existente, vulnerans relegatione, vel fustigatione dimittendus sit.
83. Ad alias partes externas corporis humani vulneratas excurrere non lubet, cum ex adductis, idem judicium à nobis ferendum esset, hinc progredimur ad casum VI. ponendo: Titium natura debilem atq; infirmum, vulgo: Der so schwacher constitution, daß man ihn mit einen Finger umstossen könte / gravi baculo vel gladio percussisse, ex qvo percussus brevi post mortuus est, cadaver à medicis

medicis inſpicitur, ac de vulneratione renunciatur, ictum per ſe non eſſe lethalem, ſi homo robuſtus eum capite vel corpore exceperit, aſt in hoc homine, qvia tenerrimæ fuit conſtitutionis, ex percuſſione, mortem fuiſſe ſecutam, an percutiens capitis ſubire debet ſupplicium. an mitius cum eo procedendum? Certe in hac qvæſtione & Medici, & JCti, & ipſæ deniqve leges, inter ſe, pugnare videntur.

Sic Medici Lipſienſes d. 17. Jul. 1668. reſponderunt: 84
In dem der ſtatus controverſiæ, und Nervus eurer Frage an jtzo nicht: Ob die vulnera ventriculi in genere lethal und tödlich; ſondern pro nunc darüber zu judiciren: Ob die uns von euch beſchriebene / und dieſem individuo beygebrachte Verwundung des Magens vor tödlich zuhalten ſey? Idemque repetitum d. 14. Sept. 1668. in literis Reſp. ad Scabinos. ibi: Sondern die Frage iſt jtzo in ſpecie, 85.
nemlich ob dieſe jtzige / und dieſem individuo zugefügte Magen-Wunde / und zwar / wie ſie bey der Eröfnung ihrer Qvalität / wie auch denen ſtracks darauf erfolgten Zufällen und kläglichen eventu nach / beſchrieben worden / pro ſimpliciter & abſolute lethali zuhalten ſey? Welſch. *de Vuln. lethal. pag. 105. & 109.* Qvod ſi ita Status contro- 86.
verſiæ formetur, vulnus in ſe non lethale, infirmo tamen inflictum, in hoc individuo erit lethale, & hinc percutiens gladio puniendus erit, qvod etiam defendit Zachias *Qu. Med. Legal. Lib. 5. Tit. 2. qu. 2. n. 32. & Qu. 6. n. 36.* ubi hoc limitat, niſi infirmitas eſſet omnino lethalis, & quaſi deſperata. Idqve rationem habere videtur, vulnerati enim 87.
ætas & conditio potiſſimũ attendenda, nam ſi infantis caput baculo, digiti craſſitudinem æqvante, graviter percutias, facile infantem occides, cum tamen ejuſmodi

ictus robusti alicujus Rustici capiti illatus, ei vix bilem
88. moveat, nedum occidat. Quis vero vulnus infantis mortiferum, per accidens dixerit lethale, quia ejusmodi ictus, viro robusto illatus, lethalis esse non soleat. huc certe quadrabit vulgatum illud ex *l. Qui cum alio 19 pr. ff. d. Reg. Jur. qui cum alio contrahit*, subsume vel de-
89. inquit, *vel est, vel debet esse non ignarus conditionis ejus.* Hoc est: qui videt se percutere infantem, vel hominem debilem, vel scit, vel scire debet, hunc vulneratum, ex tali ictu perire posse, adeoq; in re illicita constitutus omnem eventum quoque voluisse censetur, qui immediatè h. e. nulla alia concurrente culpa, ex tali actu illicito sequitur
90. add. Dn. D. Bohn. *in renunc. vuln. pag. m.* 83. ibi. *Quippe quemadmodum, ubi judicium de hac expetitur, non, quomodo illa, in genere, sed quomodo in Paulo, Petro, aliove individuo á vulnere mortuo, se habeat, i. e. an immediata mortis causa in hoc subjecto determinatum vulnus, an secus extiterit? quæstio est. Sic responsum quoque sub iisdem terminis specialioribus concipi debet, nisi concipiens stupiditatis notam penes sagatiores incurrere gestiat.*

91. Idemque ex JCtis Jodoc Damhouder *in prax. rer. crim. cap. 77. n. ult.* Statuisse videtur, *si denique*, inquiens, *quispiam vulneraret infirmum etiam extra lasionem lethalem, vulnerator reus esset (si moreretur), homicidii, non secus, quam*
92. *si validum aliquem vulnerasset*. Suamqve sententi am probat *l. qva actione 7. §. 5. ff. ad L. Aqvil.* in qva Labeonis confirmatur sententia ab Ulpian. Qvod servum ægrotum leviter percutiens, lege Aquilia teneatur, adjecta ratione: *quia aliud, alii, mortiferum esse solet.* Hinc apprimè colligitur: quod levis percussio in homine ægroto, vel debili, ac infirmo lethifera judicetur, licet alii mortem afferre non soleat. Zachias *Qu. Medic. legal. Consil. 74. n. 9. ibique alleg.* Thom. Ætius

de in

de infirm. par. 2. verſ. vulnus n. 1. ſeqq. Idemque ſentire videtur Farin. *Qv. 127. n. 82.* ubi præſumit debilem, ex vulnere fuiſſe mortuum, licet alius ex tali vulnere mori non ſoleat.

E contrario adverſa ſententia ab eodem Ulpiano, ex ejusdem Labeonis doctrina defenditur *l. Fluminum 24* 93.
§. ſi autem in fin. ff. d. damn. infect. ibi: & ita *Labeo probat, multum intereſſe, quod ad Aquiliam pertinet, ſanum quis hominem occidat, an vero factum imbecilliorem.* Hinc extraordinariam pœnam, hoc caſu, eligendam eſſe ſtatuit Caball. *d. omn. gen. hom. n. 330.*

Verum qua ratione textus hi, ut & diſcrepantes Doctorum ſententiæ conciliandi ſint, aliis, hac vice, relin- 94.
qvimus, noſtramqve ſubjicimus opinionem, repetendo diſtinct. inter homicidam inſidioſum, ſeu qui præparato animo hominem occidere voluit, & eum, qui in rixa armis lethiferis adverſarium vulneravit. Ille in hoc, & ſequenti caſu VII. capitis luit pœnam, ſi homini infirmo vel ægroto, tale intulit vulnus, ex quo hic vulneratus mortuus eſt, licet alii homines ſimili vulnerati modo, mori non ſoleant, propter animum doloſum & eventum. Quæ ſententia eleganter confirmatur *Conſt. Elect Sax. P. 4. Conſt. 5.* 95.
ibi: Jn Sterbens Zeiten/ bringen offt die Todten-Gräber oder andere/ die jenige/ ſo am Tode liegen um/ darnach ſtehlen ſie/ waß ſie finden/ ſolche ſollen alß Räuber/ mit dem Rade geſtrafft werden. Da ſie aber die Leute allein umbracht/ und nicht beſtohlen/ ſollen ſie mit dem Schwerd gerichtet werden.

Ecce hi veſpillones aliique doloſi homicidæ, qui peſte decumbentes occidunt, capite puniuntur, non ha- 96.
bito reſpectu. an vulnus, fuerit lethale per ſe, an per accidens, nullusque dubito quin in extremis laborans ceu valde & maximè debilis, leviſſimo vulnere, levique hæmorrhagia exſpiret, nihilominus has homicidas ultimum

expectat supplicium, ad qvod imponendum sufficit animus occidendi, & mors quocunqve accelerata modo.

97. Posteriori casu, si animus occidendi deficit, distinguo: aut in hoc homine debili fissura lethalis vel ut plurimum lethalis facta, & pœna obtinet gladii, licet cranium robustioris, ejusmodi ictum sustinere potuisset, add. Bohn. *in renunc. vuln. pag. 84. seq.* ubi eleganter hoc thema perseqvitur, suppono tamen talia arma, ex qvibus mors ejusmodi homini facile inferri potest, sic enim adest præsumtus dolus, seu indirecta voluntas debilem occidendi, qvi etiam ex vulnere, per se lethali, seu ut plurimum lethali, mortuus est, adeoqve requisita pœnæ ordinariæ, con-

98. currunt. Si vero ex inspectione vulneris & relatione medicorum appareat, vasa interna lethiferè non fuisse læsa, animo non occidendi percutiens & vulnerans extraordinariè puniendus est, uti enim in hac materia vulnerum, in pœna mitiganda, attendi non potest, qvod qvidam lethiferè vulnerati, nihilominus Dei beneficio, restituti sint, ita nec in pœna exasperanda, curandum, qvod ex tali vulnere, homo quidam debilis mortuus sit, sed regula & Decisio desumenda ab eo, qvod ut plurimum contingit. add. Dn. D. Bohn. de renunc. vuln. pag. 37. ubi: *quemadmodum neminem adeo præcipitis ingenii concipere possum, qvi leviora partium externarum vulnera, quæ sæpe sponte, aut sine ullo chirurgico auxilio consolidantur, ideo pro lethalibus per se pronunciet, quod aliquando mortem inexpectatam, & quasi præter omnem rationem intulerint, sed ejusmodi plagæ non obstante uno vel altero casu tragico, qui fortuito contigerat, minus aut per accidens tantum lethalibus à quibusvis prudentioribus accensentur.*

99. Idem judicium sit, si decrepitus senex vulnere non lethali

lethali perierit, attendendum enim an in ipso senis corpore talis extiterit læsio, qvæ sanari non possit, & vulnus erit lethale dicendum, an v. talis læsio non reperiatur, homo vero senio jam confectus, nihilominus mortuus sit, & vulnus per accidens lethale judicandum, Bohn. *in renunc. vulner. p. 115.* ubi ex Fieno dicta illustrat, mitiorqve pœna imponenda illi, qvi impetu magis caloris, qvam consilio tenem occidit *arg. l. 1. §. 3. ff. ad L. Corn. d. sicar.*

Id obiter moneo fœminas, qvia fœminæ, non esse di- 100
cendas debiliores, viribus, qvin potius Doctores arbitrantur: fœminas multo graviores ictus & vulnera perpeti, & ab his facilius lese extricare, qvam viros, Zachias *in Qv. med. legal. L. 5. Tit. 2. qu. 2. n. 29.* Idemq; statuit, ac colligit Accurs. *ex l. Nihil. interest 32. pr. ff. ad L. Jul. d. adult. ad verba: tam gravia.* Et hanc glossam cum Hipp. Marsil. notabilem dicit Tiraqv. *ad l. IX. leg. connub. n. 225.* Ubi ex Accursii doctrina colligit, maritum mortem uxoris immorigeræ timere non debere, dum, *non ergo*, inqvit, *mariti timento: Verum intrepidè percutiento, verberanto, pulsanto, feriunto, manuum, pugnorum, baculorum, funium, fustium ictibus.* Cum verò hæc doctrina ab instituto meo nimis sit aliena, eam Tiraqvello defendendam relinqvo. Dicta tamen vel unico illustrabo exemplo ex Hildan. *in* 101
oper. de Lithotomiâ vesicæ pag. m. 725. ubi *occurrerunt*, inqvit. *mihi, in hac & aliis gravibus ac dolorificis operationibus mulieres, qvæ ligaturam respuerant. Inter cæteras v. Ao. 1598. die 28. Jun. Matronæ Proux, ingentem calculum extraxi. Cum autem eam alligaturus essem, mihi objecit: qvid mihi de ipsa videretur, & utrum eam attonitam esse existimarem, se tot enixam liberos, multo itidem graviores, qvam operatio ista ei afferre posset dolores, â calculo excitatos sustinuisse, nunquam tamen li-*

gatura-

gatura opus fuisse. In sellam igitur perforatam obstetricum eam collocavi: & qvoniam calculus locum incidendum in collo Matricis jam aliquo modo indicabat, scabello depresso ad pedes agri insidens, totam operationem & incisionem sub vestibus peregi, calculumq; cum summa adstantium admiratione eduxi, & qvamvis plurimi tam viri, qvam fœminæ adessent, nemo tamen corpus nudum, imo nec ego qvidem, conspicere potuit. Mulier ista per operationem tam præsente fuit animo, ut ne semel qvidem sese loco moverit, aut ejularit, brevi q; , singulari Dei beneficio, priſtinam suam veletudinem recuperavit. Hæc Hildan. Tibi, lector benevole, judicandum committo, an Artificis promtitudo, an mulieris constantia fuerit major? item an rectè in tortura initium fiat à mulieribus, ceu debilioribus?

102 Casus VII. proponi posset in morboso, Germanis: Der eine böse Haut zu heilen hatt. Testatur enim experientia, qvod corpus impurum, cachecticum & fluxionibus obnoxium, ob humorum affluxum, difficulter ferat vulnera, nec sanetur, nisi difficillimè Galen. *Lib. 3. M. cap. 3.* Si ergo contingat morbosum, lethaliter non vulneratum, mori, qværitur an pœna obtineat, ordinaria? casus talis Lipsiæ contigit, hinc facultas medica Lipsiensis, seqventem in modum respondit. P. P haben wir doch / nach be-
103 schehener Eröfnung/das craniũ gantz und unversehrt/auch keine rupturam vasis alicujus in panniculis cerebri gefunden/dannenhero dann vermuhtlich/das obzwar das Schlagen vor sich alleine/ und absolutè nicht tödlich/ doch hierdurch eine Zerrütung und Erschütterung des Gehirns und durch diese ein Zufluß böser Feuchtigkeiten / verursachet worden / darauf nicht allein eine Zuneigung zur schweren Noth / sondern auch / weil durch materiam affluentem,

der

der Eingang der Nerven verſtopfft worden / der Schlack / und alſo die Tödlichkeit erfolget / welches denn NB. in einen ungeſunden und unreinen Cörper leicht geſchehen können.

Simile exemplum ex Bogdan. apud Barthol. *cent.* 104
4. epiſt. 11. refert Dn. Bohn. *in renunc. vuln. leth. p. m. 103; qui pag. 93.* Hanc noſtram quæſtionem dubiis multis undiqve ſtipatam aſſerit, varièqve pro ea reſolvenda diſtinguit, ad quem curioſum lectorem remitto, inveniet enim caſus, qvi ingenium JCti exercere valeant.

Et licet Damhouder. *in prax. crim. cap. 75. n. 2.* ſta- 105
tuat, quod vulnus non mortiferum homini non ſano inferens, teneatur non tantum de vulnerato, ſed etiam de occiſo, cum qvo conſentit Zach. *Qu. med. legal. Lib. 5. Tit. 2. qu. 6. n. 15. ſeq.* mihi tamen cum eodem Zachia *in Qu. medic. legal. Conſil. 55. n. 10.* concludere lubet: ibi: *mors in corpore morboſo, in vulnere ſalutari adveniens, ex culpa vul-* 106
neris primaria eveniſſe, dicendum non eſt. Rationem ſuperius indicavi, qvod vulnus in ſe, ſeu, regulariter non lethale, pro mortifero judicari non poſſit, licet in hoc ſubjecto mortem attulerit, propter malam hominis conſtitutionem. Secus ſi diceremus, tota doctrina de vulnere per ſe, & per accidens lethali corrueret. Certum enim qvod in cachecticis, hydropicis, phithiſi, aut morbo gallico laborantibus, vulnera alias non lethalia, haud facile, ac ſæpe nunqvam ſanentur Paræus *Lib. 9. cap. 10. initio.*

Exemplum ſuppeditat Bonet *in anat. pract Lib. 4.* 107
ſect. 3. obſ. 19. §. 2. in eo, qvi ictu ſclopeti in brachio vulneratus & 10. die mortuus eſt, de qvo ſeqventem in modum refert: *aperto cadavere, pulmones deprehenſi ſunt omnino purulenti ac ſcirrhoſis tumoribus referti, ren dexter putris cum puris copia in veſica, a quibus, non à vulnere mors pendebat.*

Et ſolas venæ ſectiones in corpore cachectico non purgato fuiſſe periculoſiſſimas & lethales, refert Hildan.
108 *Cent. 4. obſ. 70. & obſ. 71.* & Cent *3. obſ. 86.* Nec moratur nos objectio, qvod his morbis conflictantes per multos adhuc annos vivere potuiſſent, ſi vulnerati non eſſent, adeoqve vulnerationem ſolam, per ſe, cauſam eſſe ſolam & unicam, qvod hic homo morboſus nunc mortuus ſit, repono enim vulnerationem cauſam eſſe mortis, ſed occaſionalem, non vero primariam, qvæ adſcribenda vitioſæ corporis conſtitutioni, quo pertinet vulgatum illud JCtorum: qvoties vulnus per ſe non lethale, toties vulneratus mortuus præſumitur non ex vulnere, ſed ex alia cauſa.

109 Dicta confirmat Reſpon. Medic. experientiſſimi qvondam medicinæ Doctoris ac Profeſſoris in hac Roſtochienſi Dn D. Döbelii qvod ad Senatum Academicum in ſcriptis, miſit, de lethalitate cujusdam vigilis vulnerati anno 1668. d. 3. Octob. ibi:

Ich ſetze einen Fall/ es werde jemand verwundet/welcher ein groſſer cachechticus ſey/ oder auch alio qvopiam notabili & periculoſo ſanguinis, vitam continentis vitio laborire, Er were nur leviter, etwa in der Hand / oder Fuß verwundet/wer wolte ſagen / daß ſolch vulnus lethal wehre? und gleichwohl iſt es bey dieſem ſubjecto lethal, & qvidem neceſſario, neceſſitate nimirum hypothetica weil der vulneratus tam pravæ, vel debilis etiam conſtitutionis geweſen / welche Conſtitutio ein bloſſes Accidens iſt/auß welchem accidenti, bey den vulneratis, leicht andere accidentia entſpringen / ſo tödlich ſeyn/welches doch bey anderen ſonſt geſundenen vulneratis, nicht zubefürchten / zum Uberfluß ſetze ich hieher Hippocr. L. 7. Erid.

de

de Pædia Plin. Lib. 7. nat. hiſt. d. C. Amilio Lapide. Valeriolam. Lib. 3. enarrat. Medic. de Ludovic. Hildanum. L. 1. obſ. 21. & Lib. 5. Obſ. 2 Foreſt. L. 6. obſ. Med. 49. 50. Gemma. Lib. 1. Cosm. c. 6. Matth. qv. med. 27.

Huic Experientiſſ. Dn. D. Döbelii ſententiæ merito 110
ſubſcribimns, nec alia JC torum, ex medicis de lethalitate reſponſa exigentium, mens ac ſententia eſſe poteſt, qvam hæc: An ſcil. hoc vulnus ita comparatum, ut ex fundamentis medicis probabile, hominem ita vulneratum, reſtitui non poſſe, nam probato ex actis eo, qvod vulneratus, vel mox mortuus ſit, vel ſine culpa vel propria, vel medicorum, JCtis abunde conſtat, qvod vulnus in hoc homine fuerit lethale, qvo nomine, non niſi abſurde medicos implorarent, ſed JCtorum deſideratum con- 111.
ſilium eo tendit, ut conſtet, an qvivis homo, ſimili vulneratus modo, mori ſoleat, ut mala hominis conſtitutio accidentis nomine JCtis veniat, adeoqve homicida, qvi ex inſidiis vel animo deliberato aliqvem non occidit, pœna extraordinaria dimittendus ſit.

Qva reſtrictione diluo objectiones, qvod debilis, 112.
& ægrotus, citra homicidii crimen à nemine occidi poſſit, hoc enim largior, gladiiqve pœnam citra mentis titubationem impono illi, qui debilem vel ægrotum deliberato, qvocunqve etiam fiat modo, occidit, aſt illum, qui in rixa conſtitutus, citra animum occidendi, ſed tantum vulnerandi, vel injurias ſibi illatas vindicandi, alteri, vulnus per ſe non lethale, ex qvo tamen cachechticus moritur, inflixit, extraordinaria pœna dimitto, qvia primaria mortis cauſa non fuit vulnus, ſed corporis impuritas.

Noſtram ſententiam confirmat ex Tulpii *obſerv.* 113

Lib. 4. cap. 6. Bonet. *in Anat. pract. Lib. 4. sect. 3. obs. 14. ibi:* *Cornelius Bethlemita*, inqvit, *ictus cantharo in fronte, ac ventre leviter gladio puncto: procedit temulentus in gradus, fissoque sinistro temporum osse, excessit tertio post die è vita, comprehensis interim, ac in custodiam traditis, qui ipsum indignis exceperant modis; confitente altero, ventrem à se vulneratum, altero vero accusatæ de vi fronti illata.*

114 *Cujus inopinatæ mortis causam, jussu judicis, inquisituri Medici, invenere nec ventris vulneri, qvod ad interiora neutiquam penetrabat: Nec frontis contusioni mortem hanc imputandam, Verum vitam ademtam fuisse, partim per inflammationem cerebri, ab effracto osse excitatam, partim vero & quidem potissimum, ob jecur, septum transversum ac intestina ut summè inflammata à morbo rixam præcedente, sic undiqua*que 115. *fœtissimo pure perfusa ex inveterato abscessu, per turbas has id temporis disrupto. Quo lumine Judici præfato,* NB *absolutus fuit uterque reus cædis intentatæ.*

116. Multæ circumstantiæ in hac observatione occurrunt, qvæ circa casum hunc nostrum VII. majori inservirent luci, hac tamen vice, id qvod *cap. 2.* notatum hic repetere lubet & qvidem ex ipso Bonet. *d. l. in Schol.* ibi: Qvorum abditorum morborum causa haud satis fuerit inqvisivisse in naturam vulneris, nisi simul perscruteris corpus universum, ne inconsideratè asseveres, qvenqvam subiisse speciem ejus, ut occisi, qvem sors sua peremit, neqve enim minores Deo pœnas dabit, qui insontem; damnat, qvam qvi sontem absolvit.

117. Cum verò de hoc nostro casu multum controvertatur, subjungere lubet consilium, qvod qvidam percussor, incarcerem conjectus supeditat, describit hoc Bonetus *in anat. pract. Lib. 4. sect. 3. Obs. 29. §. 1. in schol, qui percussor* inqvit,

inqvit, *carceribus exemtus gratias parenti* (sc. Andreæ Boneto) *agens, pro restituta libertate, ab eo quærit, num alapæ ea vis esse potuerit, ut in mortis periculum inducere valeat?* cui parens respondet, *percussum cacochymicum fuisse, bilioſum, in quo vitioſi humores congesti, accedente causa procatarctica, conturbati fuerint, latentemque morbum atque erumpere paratum excitaverint: Eundem si ante rixam cacochymiam bilioſam purgatione excluſisset, morbum evaſurum fuisse. Tum percussor, gratias, inquit, ago, pro ſalutari monito, nunquam enim deinceps, cum quopiam altercabor, quin eundem prius ſic adoriar.* Cura tibi corpus purgari, & venas sanguine depleri, demum te, pro ut promeritus es, mulctabo. 118.

Nos comprobata sententia judicis absolventis ejusmodi percussores *n.* 115. ad Casum non minori difficultate insignem VIII. nos conferimus: Vulnus scil. infligitur Titio per se non lethiferum, ex qvo tamen Tit. mortuus est, *quia acutiſſima ſupervenit febris*, qværitur an homicida, ab ordinaria, sit absolvendus? & primâ qvidem fronte, ex fundamentis, hoc capite, toties inculcatis, intrepide respondendum videtur, febrem vulnerariam das Wund-Fieber / accidens esse, ex qvo accidenti si moriatur vulneratus, cessat ordinaria, nisi sit latro. 119.

Contrarium tamen defendit Farin. *Qu.* 127. *n.* 64. qui exinde colligit lethalitatem vulneris, si febris supervenerit, credit enim ex vulnere causatam fuisse febrem, nisi alia diversa causa probetur Consentit Damhouder. *pr. rer. crim. cap.* 77. *n.* 21. ibi: *Nam si malum aliquod ex læſione illa, tanquam ex ipſa cauſa fuisset exortum (veluti si ex vulneris malo accidissent ardentes febres, aut alius quispiam morbus, ex quo moreretur) in eo caſu ſuſpicio mortis esset, contra factorem, qui ob id de mortis crimine damnandus esset.* 120

121. Quæ ſententia ferè communiter recepta, ſi febris initio ſtatim ſeqvatur vulnus Zach. *Qu. med. leg. Lib. 5. Tit. 2. Q. 6. n* 14. Böer. *Dec. 323. n.* 13. Jac. Ayrer. *d. Homicid.*
122. *cap. 2. n. 59.* Menoch. *d. arb. Jud. qu. Caſ. 275. n. 4. Lib.* 2. Qvorum ſententia confirmatur ex jure Canon. *cap. Presbyterum 7. X. d. homicid. volunt.* Ubi pro ſynonymis reputantur, an quis ex ipſa percuſſione interierit, vel aliam infirmitatem incurrerit, de qua noſcitur exſpiraſſe *d. cap.*
123 Nec fundamento caret hæc opinio, quodcunque enim ſymtoma, ex ipſo oritur vulnere, id vulneri ipſi adſcribendum. v. g. ſi vulnerato ventriculo oriantur ſingultus, nauſea, vomitus, capitis intenſiſſimi dolores; & ex his, ſymtomatibus tandem mors acceleretur, vulneratus non ex accidentibus, ſed ex vulnere ipſo per ſe lethali extinctus eſſe, dicendus Bohn. *d. renunc. vuln. pag. m.* 114.
124 Uti enim vena vel arteria lacerata, ſanguis neceſſario fluit, (licet aliquando contrarium in homine obeſo obſervatum fuerit) ita quoque illato vulnere majori, ſeqvuntur ſymtomata, Uti vero abſurdè dixeris, hæmorrhagiam accidens eſſe vulneris, in quo laceratæ venæ vel arteriæ, ita abſurdè quoque ſymptomata ex ipſa vulneratione provenientiâ, ad vulnera per accidens lethalia referuntur,
125 Welſch. *de vulner. leth. pag. m.* 176. ubi ex reſponſ Fac. Med. Lipſ. refert. Und das der, welcher ex ſymtomatibus vulneris ſtirbet / non ex accidenti, ſondern neceſſario & ex vulnere ſterbe. Conſpirat Amman. *in prax. vuln. lethal. Decad. 4. Hiſtor. 5.* Ubi in cribrat. ſua, ironicè, *hoc modo*, inquit, *omnia vulnera erunt per accidens lethalia, quia nullum vulnus eſt ſine accidenti.* Qvorum celeberrimorum Doctorum rationes, in re ipſa, ſatis fundatæ videntur.
126 A firmata hactenus ſententia penitus abeunt Sebaſt.

Sebaſt. Guazzin. *in def. reor. Def. 4. cap. 10. n. 9, ibique alleg.* Andr. Fachin. *Lib. 3. Conſ. 82 n. 85.* Atque defendunt, licet vulnus mortale ſupervenerit febris, & vulneratus deceſſerit, vulnerantem non teneri de occiſo, quia vnlneratus 127
præſumitur potius mortuus ex illa febri, quam ex vulnere, imo vulnus confunditur febri ſuperveniente Guazzin. *d. n. 9.* Hinc eſt, inquit, Gail. *L. 2. obſ. 111. n. 22. in fin* Quod practici articulare conſueverunt pro percuſſore, quod vulnus non fuerit lethale &c. ſed febri correptus vulneratus obierit.

Nobis arridet diſtinctio: An febris ex tali vulnera- 128
tione ſequatur per ſe, vel ut plurimum, an vero febris regulariter vel ut plurimum talem vulnerationem excipere non ſoleat, poſteriori caſu, extra ullum dubium, quod febris vulneraria das Wund-Fieber referatur ad accidentia vulneris, adeoque ſi vulnus fuerit exiguum, & ſupervenerit febris aliqua acuta, non ex vulnere, ſed ex febri vulneratus mortuus eſſe præſumitur Gail. *L. 2. obſ. 111. n. 23. ibique all.* Gomez. *var. reſol. Lib. 3. cap. 3. n. 29.* Si 129.
vero ex lege artis, regulariter, talem vulnerationem ſequitur febris vulneraria, non per accidens, ſed neceſſario & ex vi vulneris occidere videtur, exemplo ſit cerebri profundior vulneratio, quam lethalia ſequuntur symptomata, teſte Parræo in *chirurg. Lib. 9. cap. 9.* Quam 130
ſententiam facile admittimus, ſi vulnus in ſe, & ſua natura judicetur lethale, quod lethalia ſemper, vel ut plurimum talia producat ſymtomata; & huc traho ſupra alleg. exper. medicos.

Si vero vulnus non ſit per ſe, vel ut plurimum lethale, licet ut plurimum febris ex tali vulneratione ſequatur, 131.
ſequatur, febris | tamen ſuperveniveniens vulnus,

qvod

quod non erat lethale, lethale; reddere non potest. Ut ut enim ex medicorum schola innotescat, majoris momenti vulnerationem ferè omnem excipere febrem, propter circulum sanguinis turbatum, nec minus tamen notum est, non omnem febrem esse lethalem, sed plurimos febricitantes, Deo benedicente, adhibitis adhibendis, fuisse curatos, hinc sola febris superveniens vulneri, per se non lethali, terrere non debet, juxta excell. Medicum, Corn. Celsum. de Medic. *Lib. 5. cap. 26. pag. m. 296.* ibi: *Si nulla febris accessit, scire licet, maturè vulnus sanum fore*, at ne febris qvidem terrere debet, *si in magno vulnere dum inflammatio est, permanet* &c. Quæ totidem verbis adducit ac probat Velalius *in chirurg. Lib. 3. d. vulner. pag. m. 187.* His ita firmatis discursum de febre vulneraria concludo verbis Jurisconsultiss. Farinac. *Qu. 127. n. 68.* ibi: *Si vero constat vulnus non fuisse mortale, & tunc superveniens febris, non facit teneri quem de occiso, saltim pœna ordinaria.*

Huc etiam referri posset casus, qvem proponit Zach. *Qu. med. Leg. Consil. 74.* Silvius vulnerat Ansovinum in capite, qvod vulnus per se lethale non judicatur, tertia tamen die vulneratus magna febre corripitur, signaq; edit non levia, quod peste tunc temporis grassante fuerit correptus, qværitur qvid juris? certe vulneratio causa fuit & pestis, & febris, pestis enim tempore, sibi quisqve caveat à mentis sanguinisque perturbatione, experientia enim teste vel timore perculsi, peste corripiuntur, ut in proverbium, abierit: Die Einbildung und Furcht sey ärger / als die Pestilentz / nihilominus vulneratum non lethiferè & postea peste correptum, non ex vulnere per se, sed ex accidenti mortuum esse intrepidè statuo,

ſtatuo, adeoqve toties dicta & huic caſui applicanda eſſe cenſeo. Similis caſus, ſi vulneratus fluxu dyſenterico afficiatur, ac imoriatur, ſic enim pravæ humorum corporis diſpoſitioni, & non vulneri mors adſcribenda Amman. *medic. crit. caſ.* 31.

Idem Judicium ſit de gangræna ſuperveniente, wann 136
der Kalte-Brand darzu ſchläget/experientia enim nos docet, vel unguis vulnuſcula, gangræna ſuperveniente, facta fuiſſe lethalia Ephem. Germ. *Dec. 1. ann. 3. obſ. 320.* Qvis vero unguis læſionem ex eo lethalem pronunciaret? aſt ſi medici conſpirent, ex tali vulneratione gangrænã neceſſario, vel ut plurimum ſeqvi, nec lege artis præcaveri poſſe, aliud ferendum judicium. Quæ illuſtriſſimo exemplo dilu- 137.
cidare lubet, qvod refert Theophil. Bonetus in Anatom. practic. *Lib. 4. ſect. 3. obſ.* 19. ubi ex Paræo *Analog. p. 1221. Cum obſidione premeretur Rothomagum anno. 1562. Navarræ Rex globulo plumbeo è ſclopeto emiſſo, in humero vulneratur: meæ curæ commiſſus fuit & Mag. Gilberti, ejus Chirurgi Monſpelienſis, & aliorum: globulum, quanquam ſedulo explorarem, reperire non licuit, unde conjectura aſſecutus ſum, eum per caput oſſis, hujus cavitatem ſubingreſſum eſſe, unde imperſcrutabilis eſſet: Plurimi corporis cavitatem ſubiiſſe, ubi deliteſceret, affirmabant, qvæſivit à me celſiſſimus, Princeps A rupe Suryon, num vulnus eſſet lethale? quod affirmavi, eo quod vulnera, quæcunque majoribus artubus inflicta ſunt, maximé ſi contuſa ſint, ex omnium ſententia, exitioſa ſint; Cæteris chirurgis & ipſo Gilberto, ſanationem ſpondentibus, conſultatio facta juſſu Regis, Reginæ matris, eminent. Cardinal. Borbonii, ægri fratris, & aliorum: nullus eorum à prognoſtico receſſit, quæ cauſa fuit, ut dictus Princeps, in cujus benevolentiam perveneram, pertinaciam objecerit, qvod ſolus cæteris*

oblectarer: respondi: si forte sanationis signa deinceps illucescerent, me quoque cæteris assensurum: Plures dehinc institutæ consultationes, sed opinionis tenax fui, gangrænam semper prædicens brachii, *quæ re vera successit, ac tandem obitus 18. à vulnere die.* *Nunciata Regis morte, dictus Princeps à Rupe Suryon globulum inquiri jussit. ejusque mandato libenter parens, asserui: sine magno labore, illum me reperturum; quod plurimis præsentibus factum: ipsam cavitatem ossis humeri parte superna, subintrat, quem dictus Princeps, Regi & Reginæ exhibuit.*

138 In qvo casu multa rimenda Medicis relinqvo, id mihi notans: Paræum gangrænam brachii prædixisse, præsumtio: ex artis fundamentis Paræum gangrænam prædixisse, maximè cum conjectura eventu fuerit firmata, hinc maximè dubia redditur thesis, qvod gangræna ad lethalitatem per accidens referri debeat, sed *n.128. seq.* firmata & hic repetenda censemus. Dicta hactenus ex-

139 tendimus si non mortiferè vulneratus *epilepsia moriatur*, hoc enim casu homicida extraordinarie puniendus est Cz. *qu.26.n.18.* ibiqve præj. ibi: *pariter fuit pronunciatum versus* Trocken *cum vulneratus non ex vulnere, sed epilepsia superveniente obierat. m. Mart. anno. 1612.* add. lit. respons. Scabin. Lipsi. ad Seren. Elect. penes Cz. *d. q. 26. n. 46.* ibi: So halten wir doch dergleichen præsumtion viel zu schwach zu seyn / die Todesstraffe darauf zuerkennen / denn es wohl seyn können / das der Verwundete auß andern zufällen NB. alß schwehrer Noth / Schlag &c. gestorben.

140 IX. Casum ponamus in eo, qvi lethaliter non vulneratus, ira tamen excandescens, animam efflavit Germ. Er hat sich zu tode geeyfert / in quo casu sine hæsitatione pronunciabis mortem per accidens fuisse secutam, cujus

rei

rei ne dubium qvidem supereſſe videtur, verum & hunc caſum, ſi cultello qvaſi anatomico, diſſecaveris, & interiora ejus introſpexeris, voraginem intueberis profundam dubiorum, brevitatis ſtudio tres tantummodo caſus ſub hoc IX. comprehenſos, levi attingam digito.

Primus ſit in homine qui occidendi animo alterius iram bilem movet, animumqve alterius tantum in modum exacerbat, ut alter ira commotus apoplexia moriatur. Germ. ſolenne: O der Kerl iſt viel zu eyferich den wollen wir bald todt beiſſen. Qvod fieri poteſt, quia nihil intempeſtivius valetudini irâ, ut qvæ hominem magis, qvam ullus affectus, ſibi eripiat, aliumqve oſtendat à ſe ipſo. Qværo autem an iram ſtudio ad internecionem usq; excandefaciens gladii pœna afficiendus ſit? Papiniano anſcultare, qvam in hac qvæſtione balbutire mallem, atqvi dixeris: ſine ulla mentis dubitatione dicendum, petulantiam atqve laſciviam extraordinariè puniendam eſſe, per textum expreſſum in *l. Lege Cornelia 4. §. 1. ff. ad L. Corn. d. Sicar.* repono: Nunc ſupponi non laſciviam, hæc enim culpæ nomine venit, ſed dolum & animum occidendi deliberatum, probari enim poteſt homicidam execrationibus ſe devoviſſe, niſi ſuis acutis injuriis Mevium ita excerbare velit, ut apoplexia moriatur, dictaqve eventus ſecutus, nam Mevii capite diſſecto, cranioqve aperto, ingens copia ſangvinis extravaſati repertus eſt. Moraliter hunc nequam homicidam doloſum eſſe, nemo credo in dubium vocabit, ſed juridice ſi eum luſtraveris, animum occidendi, modum ad occiſionem aptum, ac deniqve mortem atram ſecutam eſſe, invenies, qvæ abundè ſuppetitabunt reqviſita neceſſaria, ad ultimum homicidæ dictitandum ſupplicium, nec qvicqvam indubium vocare poteris,

141 142 143 144

qvam modum ad occidendum esse inconsuetum, & mi-
145 nus aptum. Ast repono acus qvoqve eine Stecknadel/ instrumentum non censetur lethiferum, qvis alias audax bellæ raperet puellæ basium, si vel centum, his instrumentis adeo acutis instructa sit, & tamen supra constanter defendi, si tempora infantis vel dormientis acu qvis perforet, gladii imo rotæ eum mereri supplicium, propter insidiosum maximè homicidium.

146 Armorum enim genus non consideratur, si liquido de animo occidendi constet, Excell. Dn. D. Hopp. *in Comm. elegant. Inst. ad §. 5. J. de publ. Judic.* ita ut homicidium acu commissum, pœna ordinaria sit afficiendum Si qvidem homo vel brutum acu majori in continenti occidi poterit, teste Dn. D. Bohnio *in renunciat. vulner. pag. 70.* ibi: *scil dum acus major, simile ve instrumentum subtilius inter os occipitis, & vertebrarū cervicis primam, aut inter primam & secundam, ad eorūmedullam spinalem profundius dimitti. tur, post aliquot concussiones epilepticas illi mox attoniti concidunt.* Imo notabilis est observatio, qvod in brachio qvoqve acus vulnus inferre possit lethale, sic enim. Ephem. Germ. Dec. 1. ann. 3. obs. 319. ibi: *conjux D. Rhadem anni Vratislavienſis, vulnerat se cum aciculâ punctim, circa cubitum accedit Gangræna & moritur.*

147 Ex qvibus concludo astutum atqve dolosum ejusmodi homicidam gladio feriendum esse, quoties enim de animo occidendi constat, secuto; effectu, toties de modo, qvo mors illata, soliciti non sumus *Excell. Dn. D. Hoppius d. l.* v. g. si qvis hominem animo occidendi, in fluvium præcipitaverit, nihil amplius qværitur, qvam qvod homicida in dolo fuerit, & præcipitatus suffocatus

sit

fit. Carpz. *Qu. 3. n. 30. seq.* Vel ut clarius suppeditem exemplum, Titius Mevium fame necat, ecce nullis plane utitur instrumentis, sed mortem animo doloso infert, qvis 148
dubitaret Titium, morte Mevii ex fame secuta, rota contundendum esse, qvia fame necare hominem, omnium maximè crudele, juxta vulg. illud:

Dura qvidem miseris, mors est mortalibus omnis
At perisse fame, res una miserrima longa est.

imo si qvis hominem jam ægrotum & ferè in extremis constitutum studio deserat, ad ejus curam constitutus: ne æ- 149
grotus ad priorem redeat sanitatem, & ægrotus hac ratione moriatur, pœna capitalis dololo homicidæ dictitanda. *arg. l. Necare. 4 ff. d. agnos. & al. Lib.* Wesenb. *ad ff tit. d. sepulchr. viol. n. 3.* Licet hoc casu extraordinariam eligat, Hahn. *ad W. d. l. n. 3.* Qvod plenius excutere non vacat, Wesenb. tamen sententiam rectè approbavit Carpz. *p. 4. C. 5. d. 3. n. ult.*

Eandem ordinariam homicidii pœnam ex iisdem 150
fundamentis dictitarem illi, qvi alterius fauces studio ad internecionem usque compressit, qvid enim refert, an manu fortiori, an resti gulam alicui frangas? sufficit si finem abominandum, qvacunque obtinueris ratione.

Simili modo si qvis annosæ matris impatiens here- 151.
ditatemqve ejus captans, ei pisa in schalas projiciat, qvo ex schalis decidat, annosamqve cervicem frangat, Germanis wenn man einen Erbsen auf die Treppen streuet/ das er darüber den Halß bricht/ secuto deplorando effectu, parricida ordinaria culei pœna afficiendus est. Qvoties enim de animo deliberato & dololo constat, tot,

effectu secuto, non refert, quibus mediis mors accelerata sit.

152 Qvicqvid tamen hujus rei sit, si casus præsens in facto contingat, non credo pœnam ordinariam dictitari huic homicidæ, qvi alterum iræ affectu occidit, qvia animus occidendi in actis vix adeo perspicuè probari poterit, qvin potius verba illa: ich will mancheu/ das er sich soll zu

153. todt eyferen interpretabuntur projactantibus atqve lascivis, adeoqve non dolo sed culpa homicidium tale commissum esse dicendum erit, qva interpretatione admissa, pœna est extra ordinaria arg. *l. 4. §. 1. ff. ad L. Corn. d. sicar.* Si vero animus occidendi deliberatus atqve insidiosus liqvido probari posset, ordinariæ subscribo pœnæ.

154 Secundus sit casus: Titius in rixa Mevium valde iratum armis graviter in capite vulnerat, exqvo Mevius paulo post mortuus est, factaq; inspectione, arteriæ cerebri inveniuntur laceratæ, sanguisq; copiosus apparet extravasatus, qværitur qvid juris? Dixeris, & cum fundamento, toties hoc capite inculcato, dixeris, si medici hoc vulnus lethale judicabunt, pœna obtinebit ordinaria, & ego facile tecum consentio, si vel medici certo pronunciant: mortem ex vulnere fuisse secutam, vel si liqvido de animo deliberato occidendi constat, verum nunc in eo latitat anguis, si

155 medici dixerint, vulnus esse periculosum, ex qvo homines perire solent, verum & iram vehementem pariter habilem esse, vel esse potuisse ad occidendum. Quod ut eo melius intelligatur, medicorum visitabimus scholam, discendi cupidi, qvis iræ sit effectus, sic enim dubium nostrum juridicum illustrabitur.

Ira autem impetus est cum in omnes humores, tum

156 maximè bilem, hæc enim ut plena est salis volatilis oleosi ad motum fugamque maxime est idonea; qvi ergo spiri-

ſpirituum eſt impetus, potiſſimum in eam convertitur. Verbis utor Pechlin. *Lib. 3. obſ. 25. pag. 456.* qvi inordinatus ſpirituum motus, in diverſis diverſiſſimos producit effectus, in qvibusdam enim in membrorum imbecillitatem 157
abire ſolet, Pechlin. *d. l.* qvod vel podagrici ſuo teſtantur exemplo, qvi iræ motu, podagræ cruciatus vel provocare, vel acuere ſolent. In qvibusdam ira vertiginem inducit Pechlin. *L. 3. obſ. 25. p. 455.* in aliis apoplexiam; vel paralyſin producit, in aliis epilepſiam Pechlin. *d. l.* Et
vulgo ira furor brevis audit. Cujus rei acta Hafnienſia 158
exemplum ſuppeditant *Vol. 2. obſ. 95.* Quod uxor cujusdam Scriniarii temperamento cholerico ſanguineo, cum menſtrua fluere cœpiſſent, cum vicina ſua altercata fuerit, ex qua animi commotione menſtrua ſubſtiterunt, illaqve nocturno tempore phrenetica ex lecto proſiliit, variasque turbas movit, donec tandem poſt venæ ſectionem ad ſe rediiſſet, ecce! hæc iracunda, ſi vulnerata fuiſſet, phrenetica ex ira perire potuiſſet, niſi vulnus huic ſalutiferum augurari velis, quod ſanguinis defluvio curata fuerit. Et Pechlin. *d. obſ. 25.* ex authopſia probat, nobi- 159
lem iræ nimis indulgentem in anomalam cordis palpitationem, pulſumque omnibus modis & partibus difformem incidiſſe, Pechlin. *d. l.* ubi: *erat autem* inquit, *quem ſæpius contrectare licuit,, pulſus jam intermittens, jam caprizans, jam undulans, jam celer & magnus, jam lente deficiens, verbo talis, qualem in morientibus, corporis illud, cum anima divortium luctando teſtari ſolet, eumque ad mortis usque articulum retinuit* Alia exempla ſuppeditat Bonet. in. 160
Anat. pract. Lib. 4. ſect. 3. obſ. 17. §. 3. ubi: *Job. Becklerus*, inquit, *homo ſanguineus, ad iram pronus, aliquando cum alio gladio obtuſo, pugilum more contendebat, eumque alter Becklerum*

ſub

ſub oculo ſiniſtro leviter vulneraſſet, vulnere ſolam palpebram inferiorem penetrante, oculique exteriorem tunicam parum contundente; ille ſive ira percitus, ſive dolore victus, abjecto gladio, poſt aliquot horas epilepticus moritur. Poſt mortem, ablato cranio, examinatoque diligentius vulnere, nulla læſa, præterquam, quæ exterius videbatur, deprehenſa fuit.

161 Cum ergo tantæ iræ vis ſit, ut hominem necare poſſit, qvis ſine ulla dubitatione aſſerere poterit, venas internas vi vulnerationis, & non vi iræ fuiſſe ruptas, maximè ſi vulnus contuſione fuerit illatum. Quoties ergo medici dubitant, an cauſa mortis immediata fuerit ictus gladii vel baculi, an vero iræ vi homo præſertim biliosus fuerit extinctus, tot. extraordin. pœna imponenda,
162 quoties vero ſine ulla dubitatione, mortem ſoli adſcribunt vulneri, toties ira vulnerati, homicidæ vitam conſervare nequit, quid vero in ſequenti caſu ſit judicandum benevolo lectori relinquo;

163 *Vetula qvædam, Furiarum non poſtrema conſvevit maritum ſæpius egregie verberibus excipere, qvod plerumq; patienter pertulit: Menſe Julio 1673. cum neſcio qvas ſordes ſcopis abſtergeret, indignabunda uxor accurrit, ac verbera intentavit, verum patientia tandem aliquando in furorem verſa, à marito ſcopis in tempore dextro fortiter percutitur, adeo, ut diſſolutis ac avolantibus ſcopis, acuminata ſcopis q; infixa baculi pars tempus tranſiret: Sanguine largiſſimè ex vulnere emanante, à vicina amicè monita, ut illius curam gereret, verum renuit, mirè in virum convitiis debachata eſt, ac ſe jugulum propediem ipſi fracturam minabatur: In cœna irarum plena cibos devoravit ac potu ſe ingurgitavit: Mox tamen foco aſſidens omnia aſſumta evomuit, poſtea lectum petiit, ſurrectura neſcio qvam ob cauſam, humi cecidit, & juxta lectum mane mortua inventa fuit:*

Ex

Ex illustri supremi Dicasterii Hassiaci mandato, excell. D. Combachius cum Chirurgo vulnus contemplatus est, invenitq; vulnus primo aspectu exiguum, & quod tegeretur apice minimi digiti, verum indito vulneri stylo deprehenderunt, baculi acumen altius penetrasse; detracta cuti circa musculum temporalem, omnia sanguine suffusa erant: Remoto musculo temporali, in osse foramen rotundum ac si sclopeti manuarij globulo pertusum fuisset, occurrit: Ablato cranio inter illud, & duram meningem, item inter utramq; meningem, imo in ipsa substantia cerebri plurimum cruoris inventum fuit, ex substantia quoque cerebri duo fragmenta à baculo avulsa extraxerunt; Bonet. *in anotom. pract. Lib. 4. Sect. 3. Obs. 3. §. 12.*

Tertius casus extra dubitationis aleam positus est, 165
si scil. homo qvidam à Titio non mortifere vulneratur, nihilominus ira incensus apoplexia moratur, hanc mortem non vulneri, sed vitiosæ mentis operationi ipsius vulnerati adscribendam esse, nulli dubitamus, hinc vulneranti, non nisi extraordinaria imminere potest pœna, qvæ ulterius probare supersedeo, illustraturus dicta Observatione Thomæ Bartholini 48. qvæ continetur in actis medicis Hafnienſis. *Vol. 1. pag. m. 86.* ibi; *In supremo Justitiæ Tribunali Hafniæ 1672. causa ventilata fuit mulieris Otthinianæ, qvæ à judicibus inferioribus rea judicata fuit homicidij, quia alapam ancillæ dedit, qua exinde* ira efferveſcens *qvinto die fatis cessit. In supremo vero judicio absoluta fuit matrona honesta, prudentissimis patrum conscriptorum calculis & Regia sententia definitivâ, eò, quod non alapæ vi, sed malo animo & iracundo mortem, ipsa sibi conciverat impotens sui ancilla.* 166 167

X. Casus existere posset in eo, qui lethifere non vulne- 168
ratus, ex subita tamen animi consternatione. terrore s. timore extinctus fuit, der ſich ſo ſehr erſchrecket / das er

gantz todt bleibet Finge Titium nihil tale metuentem à Mevio palma percuſſum, tanto affici terrore, ut in continenti mortuus ſit, dixeris cum Dn. Welſch. *in rat. vuln. leth. pag. 167.* Mortem hanc ex ſubita animi, à cauſa externa, conſternatione, ſpirituumque vitalium & animalium ſtertore quaſi, fixatione, ac ſuffocatione, contigiſſe; Quemadmodum ex ſubito ac inſperato gaudio eundem in modum quosdam extinctos fuiſſe, teſtantur hiſtoriæ, Welſch. *d. l.* Pechlin. *Lib. 3. obſ. 27. pag. m. 464.* Ephem. Germ. *Dec. 2. ann. 9. obſ. 22.* ubi plurima huc facientia invenies, adeoque mors ex accidenti ſecuta fuiſſe creditur. 169 Quotidianus enim uſus comprobat terrorem inſignem vel momento, ſanguinis circulum vel impedire, vel alterare, ſic hæmorrhagiam narium nimis inſignem incuſſo terrore ſanare ſolent, add. M. Jac. Daniel. **Ernſts außerleſſene Denckwürdigkeiten** *Cent. 1. ſub rubr. 32.* **die den Todt vertreibende Todes-Furcht** ibi: Daß einßmahls zu Cöln am Rhein/ ein reicher Kaufman in ein hefftiges Bluthen verfallen/ welches die Doctores mit allen ihren Mitteln nicht ſtillen kunten/ als man ſich nun des Todes befahrete/ fiehl ihnen ein/ das ein gewiſſer empyricus noch verhanden wehre/ den man üm Raht fragen könte/ dieſer alß Er kahm/ und den Patienten in Augenſchein nahm/ brach herauß und ſprach: Was plaget ihr den guten Herrn? er iſt des Todes/ laſt ihn ſeinen letzten und beſten Willen/ gegen Gott und Menſchen abfaſſen/ denn Er hat keine Zeit mehr übrig! dieſe Worthe erſchrecktenden guten Herrn dermaſſen/ daß das Bluthen auf der Stunde nachließ/ und hat Er hernach noch eine geraume Zeit gelebet.

170 Hinc verè ſcripſiſſe videtur Rolfincius *ordin, & Method.*

thod. med. spec. comm. pag. 1024. Non raro medici vice fungitur terror, & qvod illius superat captum, hujus seqvitur raptum. Hinc tertiana ex bombardæ improvisa explosione curata, ut Ephem. Germ. Dec. 1. ann. 2. obs. 150. testantur.

Verum per raro terroris tam felix existit eventus, 171
freqventius pessima producit symtomata, ipsamqve accelerat mortem, idqve celerrimè, vel momento vel paucorum dierum spatio. Sic matrona, qvæ nuncium improvisum de morte filii accepit, moritur, ut latè describit Hildan, Cent. *6. obs. 12.* Et in dictorum majorem fidem
Pechlin. produco, qvi, *Lib. 3. obs. 23. femina*, inquit, *Patri-* 172
cia, quæ alias oculis quoque prodigiosum illud anni 1681. jubar, cometam viderat, cum curiosis quibusdam viris intermista, & ipsa oculum Telescopio admovisset, auctam in immensum horribilis ostenti faciem visura, in tantum subito recidit terrorem, ut ægrè domum relata, intra paucos dies, & animam exhalaret & intempestivam curiositatem periculo vita redimeret. Sic Vir honestus à muliere impudicissima, qvæ sub 173
spectri specie, Vulcanum in cornu gessit, tanto percussus est terrore, ut totam illam noctem, multasqve seqventes inqvietus transegerit, febrisqve maligna ex terrore orta sit, testant. Actis Medic. Hafniens. *V. 1. obs.* 85. Et experientia, rerum magistra, comprobat, permultos ex variolarum aspectu perterritos, eodem morbillorum genere affici, terror enim fermentum latentis morbi 174
èxitare potest. Et in universum videmus terrorem in plerisqve morbis existere exitialem, morbiqve vim longe pertinaciorem reddere, qvod vel puerperæ, maximo mamillarum cruciatu, abunde testantur. Alii ex conster- 175
natione quasi immobiles facti, cujus exemplum in Ge-

orgio Grochatzky exhibet D. Gothofr. Schulzius *in Ephem. German. Dec. 1. ann. 9. obſ. 186.* dictus Grochatzky miles anno 1677. antumnali tempore fugitivus factus eſt. Poſt paucos dies à perſequentibus ipſum militibus, in cauponâ cereviſiariâ pagi cujusdam, encænia celebrantibus ruſticis immixtus, ſaltans ovansqve offenditur, & eximproviſo comprehenditur, qvod adeo ejus animum conſternavit, ut poſt editum primo inſultu, ingentem clamorem, prorſus obſtupuerit, & ſtatim ſine omni tergiverſatione ſe abduci paſſus ſit. Glogoviam delatus examini ſubjectus eſt, verum nec verbum protulit, nec qvicqvam intelligere viſus eſt, hinc carceri incluſus; nec cibum, nec potum aſſumſit, ſomno aut quieti nunquam ſe dedit, nec alvi aut veſicæ excrementa ulla reddidit. Sæpius Præfecti militum, poſtmodum etiam ſacerdotes eum minis, & viciſſim promiſſis, ac tandem precibus aggreſſi ſunt, ſed fruſtra, ipſe tanquam ſenſuum omnium expers, immobilis perſtitit. Demti denique illi ſunt compedes, & è carcere extrulus, qvo vellet libere abire juſſus eſt, at ille nec pedem ultro proferre, nec qvid cum eo agatur, percipere potuit. Atqve ſic, ſine cibo, potu, ſomno, ventrisque evacuatione ulla, dies viginti quinque exegit, tandemque mortuus concidit.

176 Propter connexitatem jungo metum inſtantis periculi, cujus tantus effectus, ut hominis conſtitutionem vel momento mutare, mortique fores aperire poſſit, exemplo ſit canicies, quam metus mortis accelerare ſolet Pechl. *Lib. 3. obſ. 10. in fin.* ubi: *vidi*, inquit, *juvenem viginti annorum, qui cum inter ſyrtes maris liguſtici, non procul à Liburnorum urbe naufragaretur, tres dies continuos, cum mortis metu conflictatus, cum ante niger eſſet, totus repentè canus evaſit, duran-*

durantibus etiamnum in quadragenario infestissimi metus notis. Cujus rei plura adduci possent exempla, unum tamen omnium vices sustinebit, quod ex Levin. Lemnio *d. Habit. & constit. corpor. L. 2. c. 2.* refert. Hildan. *in oper. Tit. de Valetud. tuenda pag. m. 644.* ibi; *Consternatio, repentinus terror atque improvisa subitaque periculorum aut mortis intentatæ formido, ita vires & formam depopulantur, ut non nulli, sui prorsus dissimiles appareant. Cujus rei exemplum memorabile, nostra memoria ediditjuvenis quidam generosus ac nobilis, qui cum in aula Caroli Cæsaris versaretur, virginis cujusdam pudicitiam expugnavit, quo nomine in carcerem conjectus, postridie plectendus capite. Cum autem ea nocte tædio,* 178 *ac mœrore conficeretur, ex angore mentis, conceptaq; mortis, formidine ita immutatus est, ut sequenti die, cum pro tribunali consisteret, à nemine eorum quibus cum familiariter vixerat, ne à Cæsare quidem agnosci potuerit, adeò illi mortis horror, vitæque desperatio paucarum horarum spatio colorem vigoremq; corporis ademerat, ut omnis species, formæq; decor ac venustas defluxisse appareret, sic ut supra quam credi posset, squalida sit effecta facies; Color ex florido luridus, & cadaverosus, aspectus horridus, indecora canities, barba situ & pædore, fœdoq; illuvie deformata. Cæsar cum in illum defigit oculos, suppositi-* 179 *tium esse auspicatus ac jucum sibi factum explorari jussit, an ipse esset, cujus rei cum certior factus esset, aspectu viri attonitus atq; obstupefactus, ex vindicta in commiserationem animum deflexit, atq; satis pœnarum dedisse ratus, culpam illi (vel potius dolum) remisit.*

Huc facit qvod pleriq; ad mortem damnati magis; timore mortis, qvam cruciatu ipso vitam deponant. Cu- 180 jus rei exemplum suppeditat Hildan. *in oper. Tit. de Lithotomia vesicæ cap. XI. in fin. pag. m. 726.* ibi; *Anno circiter 1608,*

cum in caſtello Regio Bourg en Breſſe, miles qvidam præſidiarius ſecunda vice ſomno oppreſſus in excubiis deprehenſus apertis oculis, in pœnam ſclopeti ictum ab amicis expectavit, filiolus verò Gubernatoris flexis genibus, pro vita ac liberatione iſtius militis ſupplex intercedit. Gubernator mandat ut illico deligetur, eiq; annuncietur; Excellentiam ſuam ſupplicatione filioli inductam vita eum donare. Ubi igitur miſerum iſtum militem deligaſſent, eum veluti in agone animam jam agentem, & ratione privatum invenerunt, unde à nonnullis e Caſtello in urbem deportandus fuit, conſilio tamen medicorum tandem

181. *reſtitutus fuit.* Simile exemplum legimus in Harsdorfers groſſen Schauplatz Luſt und Lehrreicher Geſchichte *Hiſtor.* 184. qvod ſcil. Princeps inferiorem qvendam ex conſiliariis, cujus ſolertiam, legum ſcientiam, & circa Principales juſſiones fidem ex multis rerum argumentis acceperat, ad vacans Cancellarii officium per aſpera ad aſtra promovere voluit, incuſans, ipſum proditionis, atq; condemnans capitis, cum vero dies executionis inſtaret, Cancellarium hunc ſuum & ſalutavit, & aliis honorandum præpoſuit, triſti tamen exitu, cum conſiliarius hic fidelis metu mortis ſubeundæ, paulo poſt mortuus ſit. Hinc obiter moneo, cautelam qvam ut auream commendat, Berlich. *p.* 4. *C.* 11. *n.* 77. aliiq; verè eſſe plumbeam.

182. Cum ergo tantus ſit metus atq; terroris effectus, pono Titium ex improviſo vidiſſe, qvod Mevius adverſarius ſtricto gladio vel baculo inſtructus januam intret, graviſſimoqve terrore perculſum, ac re vera etiam ictu gladii vel gravioris baculi exceptum, mortuum fuiſſe, an præſumendum, vulneratum ex vulnere, an terrore, de qvo teſtes deponunt, vita privatum fuiſſe, pono iterum ex medicorum relatione apparere, & terrorem & vulnus mortis im-

tis immediatam cauſam eſſe potuiſſe. Hoc certe caſu 183
ſi percutiens non habuerit animum directum occidendi,
mitius cum eo agendum, & in dubio præſumendum vul-
neratum potius ex terrore, ceu accidenti, qvã ex vulnere
quandoq; lethali mortuum fuiſſe, vid. Gail. *L. 2. Obſ. 111. n. 22.*

Idem judicium ſit, ſi ex depoſitione jurata teſtium 184
conſtet, vulneratum hunc vulnere non contemnendo, &
mortuum, aſpectu ſangvinis profluentis graviſſimè fuiſſe
turbatum ac terrore perculſum, reperias enim homines,
qvi nec aliorum, multo minus proprii ſangvinis effuſio-
nem conſtanti ferre poſſint animo: Die gleich in Ohn-
macht fallen / wenn ſie anderer Leuthe / oder auch ihr eigen 185
Bluth ſehen. Exemplum obſervavi ex Ephemer. Ger-
man. *Dec. 2. ann. 3. Obſ.* 101. ibi: Decollabatur ante aliqvot
annos hic maleficus. Puella 10 forte annorum adſtat, &
perterrita incidit in epilepſiam. Alia hanc videns puel-
la 12. annorum ſtatim etiam concidit terrefacta, ob aſpe-
ctum hujus epilepticæ puellæ. Nec adeo intreqvens 186
animi deliqvium, qvod ex venæ ſectione tam propriæ,
qvam alienæ, indeqve oriunda hæmorrhagia promanat.
Hujus exemplum ex Hildan. *Cent. 6. Obſ.* 12. *in fin.* adduco:
Nobilis ſcil. Matrona cognatæ, cui vena ſecabatur, ad-
ſtans, & exilentem ſangvinem nimis attente obſervans,
cordolio proſtrata in ſyncopen graviſſimam incidit, & ſe-
qventi die fœtum mortuum peperit. Illius Ephem. Germ.
ann. 1. Dec. 2. Obſ. 168. in Schol. jucundum ſuppeditant exem-
plum: Parocho cuidam, qvosvis venæ ſectiones timi- 187
de admittentes irridenti, talis fraus obtigit: ut brachio
rite ad venæ ſectionem diſpoſito; averſo ejus ab adſtan-
te capite, vena phlebotomo ſaltem inverſo, fuerit titillata
& tacta, guturniumqve vaſi applicatum, ac ſi verus ſan-

gvis

gvinei inſtillaretur, qvo nihilominus effectum, ut poſtqvam ipſe ſufficientem ſangvinis putatitii, qvi tamen pura aqva erat, effluxum reputaret, chirurgusqve foramen ſibi imaginatum claudere nondum vellet, in animi deliquium, ac ſi ſangvis verus emiſſus eſſet, inciderit, ut ex ejus vehementia Pater Capucinus adſtans, & ipſe chirurgus fugæ ſe dare deliberarint, niſi fortioribus ſpirituoſis
188 cardiacis tandem ad ſe rediiſſet. Ecce qvantus ſit terroris ac imaginationis effectus, cum vero tale qvid eveniat, ex ſimulata venæ ſectione, qvid operabitur vera? Et qvid tandem operabitur gravioris momenti vulnus, ex qvo hæmorrhagia non ſtillat, ſed ruit.

189 Caſus XI. ſeqvatur in eo, qui titillatione cachinnum alteri tantum in modum movet, ut animam extinxerit, der einem zu tode kitzelt. Produco exemplum ex Ephe-
190 mer. Germ. *Dec. 1. ann. 9. Obſ. 125.* Matrona enim honeſta, circiter 30. annorum temperamenti ſangvinei, anno 1675. cum ancillis jocoſa confabulando in cachinnos & riſum nimium tota effuſa, paulo poſt ad ſeceſſum exire cupiebat, qvo dum perveniſſet, in lipothymiam incidens, cum ſumma domeſticorum conſternatione, placidè exſpiravit. Medicus facta ſectione credidit: A diſſipatione ſpirituum, violenter commotorum, qvorum abſentiâ ſangvis obrignit, hunc funeſtum caſum proceſſiſſe; hinc
191. cachinnanti acclamandum: *Ne qvid nimis.* Similem ferè obſervationem poſteritati commendant Act. Medic. Hafn. *V. 2. Obſ. 96.* qvod ancilla Germana cum fabulas vel narraret, vel audiret, ſubito in riſum agitata fuerit, & cum ipſo riſu, ſternutatio ſimul oborta pleuritidem peperit, hinc acclamandum: *Riſum teneatis Amici!* Dictorum veritatem confirmant Ephem. Germ. *Dec. 2. ann. 9. Obſ. 22.*

ibi

ibi: ante paucos annos, mater qvædam infanti, qvatuor
menſium, in menſa jacenti, animi delectationis cauſa ba-
ſia figebat, & titillatione amicabiliqve allocutione, inten-
ſum rilum concitabat, ex qvo infans ſub ſpirituum diſſo-
lutione repentina, in ſeſe qvaſi corruens, levi epilepſia ſu-
perveniente, animulam, poſt paucas horas, cœlo reddi-
dit. Et qvotidie videmus non pueros tantum, ſed & ſe- 193
niores in tantum effundi cachinnum, ut animi fere deli-
qvium patiantur dicentes: Ich habe mich zulacht/ daß
ich nicht mehr kan. Hinc optimè Pechlin. *Lib. 3. Obſ. 28. pag. m. 468. mihi*, inqvit, *non planè incredibile viſum, nimio aliquando riſu homines fuiſſe extinctos.*

Fingamus ergo Mevium longe majores titillationes 194
intentaſſe Titio, qvi titillationum, penitus erat impatiens,
der ſehr kietzelich wahr, donec Titius animam exſpiraverit?
Mevium à doloſo homicidio, pronunciamus immunem,
niſi admodum liqvido probari poſſit, qvod animo delibe-
rato titillationes, hoc fine, moverit, qvo Titius ſpiritum
efflaret, qvod tamen probatu, longe credimus difficillimũ. 195
Si hic animus inſidioſus probari non poſſit, homicidium
culpoſum nuncupabimus, qvod ultra relegationẽ ad ſum-
mum, puniri non poterit *arg. l. 4. §. 1 ff. ad L. Corn. d. Sicar.*

Caſum XII. ſuppeditabit Carſania qvædam graviſſi- 196
ma incenſaira, qvæ lethiferis armis deſtituta, acie dentiũ
ſuorum Titium invaſit, morſuq; brachium ejus ita gravi-
ter læſit, ut Titius ex eo vulnere mortis periculum ſubire
coactus ſit. Si dixeris deciſionem in aprico eſſe poſitam, 197
ſc. extraordinariam obtinere pœnam, qvod mulier irata
nec lethiferis armis uſa ſit, nec vulnus inflixerit per ſe le-
thale, cum ſupra dictum ſit, vulnera brachii regulariter
non eſſe lethalia, & fateor his poſitis, deciſionem non eſſe

198 in obscuro, verum qvid si utrumq; negem, statuendo: Carfaniam hanc armis lethiferis Titium invasisse, eiq; vulnus lethale inflixisse. Prius probo, qvia acies dentium iratæ uxoris, æq, pernicioſa ac lethifera, qvam acies gladii atq; acinacis fulgidissimi, hinc vulgatum illud: Ihre Zähne sind schärffer/als scharffe Schwerdter Posterius probo ex
199 Paræo *Lib. 9. Chirurg. cap. 15.* in med. ibi: *Hominum morsu inflicta vulnera, omnis veneni esse participia.* Cujus rei exempla commendat Hildan, *de Ichore cap. 2. pag. m. 835.* ibi *Rusticus quidam sanus optimoq; corporis habitu præditus* Hanß Schlichter *anno 1617. ab alio quodam rustico in conflictu, ad secundum articulum medii digiti, manus sinistræ, morsus fuisset, & ab inexperto quodam barbitonsore curari posse, credidisset, non diu post secutus est dolor maximus, inflammatio & tantus affluxus humorum seroſorum ut vix credibile sit.* Idem *An. 1583.* Mercatori cuidam in Langenberg, prope Düsseldorpium Gerhard. Munch nomine, post morsum hominis
200 in dextrum indicem accidisse, meminit Hildan. *d. l.* Dicta confirmat D. Joh. Georg. Sommer. in Ephem. Germ. Dec. 2. ann. 2. obs. 172. ubi: *Uti irâ*, inqvit, *incandescentes canes, feles, apes, lupi, sues, equi & alia alias veneni expertia bruta morsus venenatos infligere possunt, ita in ipso corpore humano spiritus alias naturæ tutelares, impetuoso iræ oestro contaminati malignam qualitatem induunt*, suamqve sententiam exemplis illustrat, ex qvibus primum refero: *Ante novendecim annos inter verba & verbera virî cujusdam pollicis anterior articulus dentibus adversarii ita impetebatur, ut quicquid chirurgus mundando niteretur, in cassum fiebat, quia vulnus* NB. venenato salivæ fermento infectum *omnem consolidationem respuebat, donec pars infecta esset resecta.*

201 Qvicqvid tamen hujus sit, mulierem morsu aliquem

occ

occidentem, extraordinaria pœna dimittendam esse statuo, qvia vel ex ipsius Hildani observationibus elucet, morsum hominis, si ex lege artis debite tractetur, non esse mortalem, nec id, qvod per raro accidit, pro regula & norma in judicando probari potest, qvod toties in hoc capite demonstratum fuit. Excipimus tamen casum, 202
si mulier qvædam, data opera, dentibus venas & arterias cujusdam laceraret, eo animo, ut hominem occidat, sic enim animus dolosus, cum effectu conjunctus, pœnam meretur ordinariam, nec genus armorum attenditur.

Casum XIII. suppeditabit loci temporisq; circum- 203
stantia. Finge enim Mevio vulnus esse illatum, in se non lethale, *hoc tamen in loco, & hoc anni tempore illatum, ut plurimum lethale* à medicis judicari, an JCti, hoc casu mortem per accidens fuisse secutam, judicabunt? Cujus qvæstionis illustrationem suppedita- 204
bit Zachias *Qv. med. leg. L. 5. Tit. 2. qv. 3. n. 30, 31.* ubi *unum idemq;* inqvit *ejusdem partis vulnus, in hoc loco ut plurimum lethale, in illo ut plurimum non lethale. Vulnera capitis, qvod pro exemplo sit, Florentiæ & Bononiæ maximè lethalia, Romæ vero & Ragusii non ita add*: Bonet. *in Anat. pract. Lib. 4. Sect. 3. Obs. 15. in append.* ibi: *Sunt autem Florentiæ capitis vulnera fere semper lethalia, adscribunt id aëris subtilitati.*

E contrario testatur Bonet. *Anat. pract. L. 4 sect. 3 Obs. 4,* 205
§. 10. *in schol.* qvod aër frigidus vulneribus capitis sit inimicus, hinc complures ex levi vulnere capitis, pericranio tantum vulnerato, obierunt, qvi se aëri frigido commiserant. & Dn. D. Bohn *d. Vulner. leth. pag. m.* 174. notat, *leviſſimam etiam cerebri denudationem, aliquando mortem præstare, nimirum ab incongruo aëre, qualem sæpius vix discernimus, si alteretur,* Et omnium optimè præsens thema illu- 206

ſtrabit ſchol. qvod refert Bonet. *Anat. pract. L. 4. Sect. 3. obſ. 6. §. 6.* Ibi: *Obſervatum quibusdam temporibus, omnia propemodum vulnera, parva æque ac magna, lethalia fuiſſe. ob aëris peculiarem conſtitutionem cognitioni noſtræ imperviam. Annus quidam à me annotatus, in quo capitis omnibus vulneribus prope ſuperveniebat gangræna* &c.

207 Simile qvid ex Marcello Donato *de Variol. cap. 2.* refert Bohn. *de renunc. vuln. p. 109 jam agitur quarto vel quinto annus, quod in civitate noſtra Mantuana, quicunq; in capite vulnerabantur, licet leve admodum vulnus iis inflictum eſſet, quovis adminiſtrato auxilio, ſanari minimè potuerant, qui tamen influxo poſt tertium vel quartum annũ, penitus abolitus fuit, ita ut nunc ferè nullus eâdem in parte ſauciatus, moriatur.* Cujus rei vix alia quam aëris conſtitutio reddi poterit, qvod tamen

208 medicis relinqvimus. Ex his tamen obſervationem Thom. Bartholin. 34. *V.* 1. act. Hafn. adducere lubet: qvi *anno, currente*, inquit, *pluſculæ fœminæ Hafnienſes vel abortum paſſæ vel difficultate partus, mortuos ediderunt, vel ſectione per chirurgum ſibi extrahi diſcerpique viderunt, vel febre variolisque extinctæ. Et pleræque femellas pepererunt imbecillatis indicio.*

209 *Juvit humida anni conſtitutio, & frigida, qua laxata uteri ligamenta fœtum ut decet, conſtringere non potuerunt.* Ex quibus omnibus id unice notamus, certis annis, imo certis anni temporibus, vulnera eadem magis exiſtere lethifera, qvam aliis temporibus.

210 Finge ergo Titium, Mevio, vel in diebus canicularibus vid. Ephem. Germ. *Dec. 1. ann. 1. obſ. 24.* Hildan. *Cent. 6. obſ. 6.* vel tempore hyberno, cum gelu omnia premerentur intenſiſſimo, vel tempore turbulentiſſimæ tempeſtatis, vel in tali loco, qvi vulneratis ſolet eſſe exitioſus, vulnus intuliſſe alias non abſolutè vel ut plurimum lethale,

qvid

qvid juris? certè si argumentum desumere velis à forensi delinqventè, capitis imminebit pœna; forensis enim judicatur juxta leges, qvæ in eo loco vigent, in qvo delictum admisit Lauterbach. *in Comm. ad ff. tit. d. Leg. §. 16. Jul. Clar. in pract. §. ult. Qu. 85. n. 2.* Farinac. *in pr. crim. Lib. 1. Tit. 3. qu. 24. n. 164.* Exemplo sit, adulter forensis, qvi in Saxonia Elect. hoc delictum admittens, punitur juxta Const. Elect. Saxon. licet in loco, ex qvo adulter oriundus, adulterium gladio non puniatur Carpz. *p. 4. C. 19. d. 19.* ibique præj. ibi: hatt N. N. So sonst ein Außländischer und von Lübeck ist / bekant / das Er mit N. N. zu Leipzig vor dem Peters Thor / fleischlichen zugehalten und geehebruchet / so wird Er wegen solches begangenen und bekanten Ehebruchs / Vermöge Churfürstl. Sächs. constitution, mit dem Schwerd vom Leben zum Tode gerichtet und gestrafft. V. R. W. delinqvens enim in loco delicti se legibus illius loci submittere censetur *l. 20. ff. de pœn.* ergo gnarus sit, vel esse debet conditionis illius loci, in qvo delinqvit *arg. l. 29. d. R. J.* 211 212

Simili modo dicendum, homicidam, qui aliquem dolosè in aliqvo loco, vel certo tempore vulnerat, gnarus sit, vel esse debet conditionis illius loci & temporis, qvo delinqvit, cujus si gnarus sit, & hominem nihilominus percutiat, de omni eventu tenetur. Ad hæc, si casus in facto contingat, judiciumqve de lethalitate ferendum sit, non attendendum, qvid in Asia, America vel Africa contingat, sed qvid in Europa usu venire soleat, & in ipsa Europa non attendendum, qvid Hispania vel Italia nobis subministret, sed qvid in Germania, imo in hac ipsa civitate, in qva Titius homicidium admisit, ut plurimum accidere soleat. Hinc ejusmodi vulnera in tali lo- 213 214

co, vel tali tempore illata, ſine dubio; per ſe lethalia dici debere ſtatuit D. Bohn. *in renunc. vulner. pag.* 110.

Fateor magni momenti hæc eſſe dubia, firmiterq; 115. concludentia, ſi homo deliberato & animo directo alium occidere voluerit, verum cum ſemper mitius ſit agendum cum eo, qvi tale propoſitum nunqvam habuit, ita qvoad hunc dicimus: Qvoad pœna obtineat extraordinaria, ſi medici pronunciaverunt, tale vulnus aliás regu- 116. lariter non eſſe lethale. Uti enim hactenus interna, vulneri lethalitatem aferentia, accidentium nomine recepimus, ratio nulla obſtat, qvin externorum quoqve violentiam, vulneratum in pejora abripientem accidentium nomine complectamur. Qvam plurimi reſtant caſus, verum inſtituti præſentis ratio, uberiorem explicationem denegat, hinc vela contrahenda, qvo paulatim finem hujus capitis qværamus.

Caſum XIV. ſuppeditabit ipſa vulneris conſtitutio, 117 finge enim medicos pronunciaſſe, vulnus qvidem, in ſe non eſſe lethale, propter ſitum tamen incongruum, in qvo debito modo tractari non poterat, man hätte nicht zur Wunde kommen können / vulnus factum eſſe lethale

118 Hoc certe vulnus non per accidens, ſed per ſe lethale, æſtimandum, tum inter medicos, tum JCtos. Sic una eademq; vena vel arteria lacerata, propter ſolius loci ſeu ſitus diverſitatem, pro lethifero & non lethifero judicatur vulnere v. g. vena & arteria crutalis lacerata, ſi mox ſub ingvine, ad abdomnis usq; cavitatem lacerata ſit, vulnus infert lethale Bohn. *de renunc. vulner. pag. m. 61.* qvia applicandi remedia & hæmorrhagiæ reprimendæ impoſſibilitas adeſt. E. contra ſi eadem vena vel arteria in 119. parte inferiori verſus genu ſit ciſſa, vulnus non per ſe lethale

thale infert, qvia aptitudo remedia applicandi adeſt. add. Reſp Medic. Facult. Witteberg. d. 28. Jan. 1635. ibi: Hierauf berichten wir / kürtzlich ſo viel / das zwar die vulnera arteriarum und venarum, an und vor ſich ſelbſt nicht tödlich zu achten / ſie ſeyn denn an denen Oertheren / da durch keine Menſchliche Hülffe / das Bluth kann geſtillet werden. add. ſupra n. 74. D. Bohn. *de renunc. vulner. pag. mihi 61.*

Caſ. XV. ſit in tali vulnerato, in qvo locus vulneris illati in oculos non incurrit. 220

Teſtantur enim anatomici non rupto cranio, nec panniculo aliqvo læſo, nihilominus capitis contuſionem fuiſſe lethalem Bonet. *Anat. pract. Lib. 4. ſect. 3. obſ. 1. §. 1.* Propter ſanguinem putrefactum ſub cranio Bonet. *d. l. in ſchol.* Et Zachias *in Qu. med. LL. Lib. 5. Tit. 2. qu. 10. n. 3. & 4.* docet: nulli dubium eſſe debere, qvod ubi percuſſiones & ictus validi fuerint, qvacunqve in parte, præterqvam in artubus, ſed præcipue in capite, in ſtomacho, in pectore, & in regione hepatis poſſint eſſe proximæ cauſæ mortis, etiamſi nullum ab extra appareat nocumentum, nulla continuitatis ſolutio. 221

Hoc autem in prænominatis partibus facile fit ob ruptu rani & laceration em internorum aliqvorum vaſorum, aliqvando ob exqviſitum partis ſenſum, ut in ſtomacho, præcipue ſecundum os, in capite, tum ob prædicta, tum etiamob cerebri validam concuſſionem, ex qva Epilipſiam Apoplexiam, Catochum, Lethargum, & hujuſmodi affectus ſuſcitari facillimum eſt. Exempla vide plurima in Boneti *anat. pract. Lib. 4. ſect. 3. obſ. 2. §. 7. & Lib. 4. ſect. 3. obſ. 3. §. 8. ſect. 3. obſ. 4. §. 9. & obſ. 8. §. 10.* 222

Certe infelices ſunt illi, ad qvorum abditos morbos, nec oculi nec mentis penetrat acies, hinc merito ejuſmodi vulnera ad lethalium per ſe claſſem referenda erunt D. 223

D. Bohn: *in renunc. vuln. pag. m.* 81. ponendo, qvod ex lege artis locus illati vulneris inveniri non potuerit add. Resp. Medic. Fac. Lipſ. d. 1. Nov. 1677. ibi: Und hindert hieran nichts / das euſſerlich wo der Schlag geſchehen / keine ſonderbahre Verletzung zu ſehen geweſen / maſſen es beſſer geweſen / wenn ein vulnus patens geweſen wehre / denn ſo hatte das geronnen Geblüth ſeinen Außgang haben / und nicht ſo leichtlich dergleichen tödliche Zufälle verurſachen können D. Amman. *in prax. vulner. leth. Dec. 4. Hiſt. 3.*

224 Propter conexitatem jungo caſum XVI. ſi vulnus propter anguſtiam lethale judicetur: Wenn das Loch ſo klein / das man nicht zur Wunde kommen können / vid. D. D. Bohn. *in renunc. vuln. pag.* 71. ibi: *imo obſervare contingit, quarundam partium vulnera, quo exiliora ſeu anguſtiora, eo periculoſiora exiſtere, ac interdum per ſolam hanc circumſtantiam, niſi manu chirurgi tempeſtivè dilatentur lethalia evadere.* Ex qvibus verbis apparet, ejuſmodi vul-
225 nera ad claſſem illorum eſſe referenda, qvæ per accidens ſunt lethalia, dicit enim D. Bohn. qvod fiant lethalia *per hanc circumſtantiam.* Quæ ſententia ſatis certa, ſi medici pronunciaverint: vulnus hoc anguſtum à medicis vel chirurgis dilatari potuiſſe, Evenit enim ſæpe, inquit, Marc. Aurel. *in chirurg. effic. part. 2. cap.* 31. Vulneribus, ut non ſatis hoſtilis plaga ſit, niſi & medicæ manus adveniat no-
326 va præciſio. Si vero medici pronunciaverint, ex lege artis, ejuſmodi vulnus dilatari non potuiſſe, ad vulnera per ſe lethalia referendum. add. Reſp. Med. facult. Medicæ Lipſ. penes Amman. *in Medic. crit. caſ.* 43. ibi: Auch dazu kommen curandi ἀδυναμία und unmöglichkeit / in dem man durch den kleinen Piſtolſchoß / da die Labia vulneris als bald über einander gefallen / die medicamenta

durch

durch alle verletzte Glieder nicht hatt bringen können: alß ist billig solch vulnus vor tödlich / daran der Verwundete hatt sterben müssen/zu achten. Leipzig den 15 Octob. 1635.

Ex doctrina contrariorum idem judicium videtur 227
ferendum in casu XVII Si vulnus nimis fuerit magnum atqve profundum, wenn die Wunde alzu groß geweſen. Et plurimi qvidem JCtorum exinde colligunt: vulnus fuisse lethale, vulneratumqve ex vulnere fuisse mortuum, si vulnus admodum fuerit profundum Menoch. *d. A. J. Q. L. 2. cent. 3. Cas. 275. n. 5.* Böer. *Dec. 323. n. 14.* Farin. *Qu. 127. n. 56.* Ayrer. *de Homicid. part. 2. n. 60.* Sebast. Guazzin. *Def. 4. cap. 10. n. fin.* qvorum sententia firmari videtur *l. Vul-* 228
neris magnitudo 8. ff. d. injur. In qvâ, sola & simplex vulneris magnitudo atrocitatem facit. Ex medicis consentire videtur Zach. *Q. med. leg. Lib. 5. Tit. 2. qu. 6. n.* 6. 7. Ubi ex Foresto probat, ex simplici magnitudine, vulnera reddi posse lethalia. Verum tota doctrina Menoch. & 229
Farin. de præsumta vulneris lethalitate, parum præstat utilitatis, qvoties enim in casu obveniente, ad pœnam ordinariam imponendam reqviritur vulneris lethalitas, toties cessant omnes Menoch. & Farinac. præsumtiones mortalitatis, qvia non necessario concludunt, qvales tamen præsumtiones ad pœnam capitalem inferendam desiderantur *l. fin. C. d. probat.* add. Carpz. *Qu. 26. n. 46.* ibiq; Resp. Sca- 230
bin. Lipſ. sub dat. d. 24. Januar. 1631. ibi: Uns auch nicht unbekand / was von etl. Rechts-Gelahrten de vulneris lethalitate, & temporis intervallo, qvando nempe vulneratus ex vulnere decessisse, vulnusqve mortiferum fuisse præsumatur, discuriret wird / so halten wir doch dergleichen præsumtion viel zu schwach zu seyn / die Todes-Straff darauf zuerkennen / und dem gefangenen das

Leben abzusprechen. &c. ad medicos ergo recurrendum, & ex his qværendum, an probabile hoc vulnus profundum ex lege artis curari potuisse? qvorum relationi standum.

231 Id pro illustratione addo; medicos regulariter ex sola magnitudine atqve profunditate vulnus pro lethali non æstimare vid. D. Bohn. *in renunc. vuln. pag. 62.* ibi: *principium hujus incisionis punctura illâ uncias quinque vel sex profundius observabatur, à quo obliquè per femur versus genu ad spithamæ longitudinem descendebat,* musculos intermedios profundius cum arteriis ac venis majoribus lacerans, ac tantæ latitudinis, ut ejus labia vix palma tegi potuerint, *& ex quâ læsus intra paucas horas obierat. Hanc non per se, sed per*

232. *accidens tantum lethalem judicavimus, quoniam ejusmodi in loco,* tantæque amplitudinis extiterat, *ubi vasis tam deligandis, quam per adstringentia aut cauteria occludendis commodè satis præsto esse potuerit chirurgus.* add Zach. *Qu. med. Leg. Lib. 5. Tit. 2. Qu. 6. n. 13.* ibi: *Medici vulnus non ex magnitudine, & magna effusione sanguinis, sed ex qualitate judicant & naturâ partis vulneratæ.*

233. Casus se sistit XVIII. in eo, qvi multis vulneribus fuit confectus, quorum singula non erant lethalia, bene tamen universa, monet enim D. D. Amman. *in medic. erit. cas. 43. in discurs. pag. m. 231.* lethalitatem vulnerisnon solum ex læsione unius partis principalis, verum etiam ex læsione plurium & minus principalium æstimari debere, ut plurimum enim homo multis affectus vulneribus etiam non lethalibus, ex hæmorrhagia moritur Er pfleget sich todt zu bluthen. Qvo vero eo accuratius in hoc ca-

234 su procedamus, dissecare eundem lubet in duas partes, qvarum prior sit de casu, si plures v. g. decem conjunctim

ctim, variis iisqve vel viginti vulneribus per se non lethalibus Titium occiderint, an omnes gladii pœnâ, an nullus eorum capite, sed omnes extraordinariè puniendi sunt? Hoc casu iterum dist. an omnes conspiraverint in necem alicujus, Germ. Sie haben sich beredet, Tit. umzubringen/ ita ut ex proposito occidendi eum aggressi fuerint, eumqve pluribus vulneribus non lethalibus occiderint, hoc casu omnes capite sunt puniendi, juxta Const. *Crim Art.* 148. ibi: So etliche Personen mit fürgesetzten und vereinigten Willen und Muth jemand böszlich zuermorden/ einander Hülff und Beystand thun/ dieselben Thäter alle haben das Leben verwürckt. Qvia omnes habuerunt animum occidendi, adeoqve propter hunc animum, effectu secuto, ultimo afficiendi sunt supplicio Classen. *add. art.* 148. *Const Crim.* Nec est qvod objicias, propter unum hominem occisum, non posse decem homines capitis condemnari, ne pœna major sit delicto, sufficere, si per decimationem atqve sortem unus eligatur cujus sanguine abluatur sanguis innocens profusus. In homicidio enim in qvod plures conspirarunt, tot censentur esse homicidæ, qvot conspirantes. Sic in homicidio mandato, & mandans & mandatarius gladii subeunt supplicium, licet unicus tantum homo sit occisus Jul. Clar. *L. 5. sent. §. fin. qu. 89. pr.* Farin. *Qu.* 135. *n.* 1. Carpz. *Qu.* 4. *n.* 9. & in assassinio & assassinator & assas sinus gladio plectuntur, & utriusqve corpus postea rotæ imponi solet, licet unicum tantum hominem occiderit assassinus Carpz. *Qu.* 19. *n.* 17. ibi: So möchten Sie von wegen solcher ihrer begangenen und bekanten Verbrechung beyde mit dem Schwerd vom Leben zum Tode gestrafft und hernach eines jeden Cörper auf ein Rath ge-

235 236 237 238

leget und geflochten werden. Idemqve judicatum, cum
239 crimen hoc assassinii à qvibusdam nobilibus perpetratum, & assassino 2000. floreni promissi, ab eoque G. ab H. occisus fuerat M. Sept. 1625. teste Carpz. *d. l. n.* 18. Quid vero aliud faciunt conspirantes in homicidium innocentis, qvam qvod sibi invicem homicidium mandent, idqve fieri velint, ac urgeant? & hinc est, qvod in hoc casu non attendatur, an unus, an plures lethalia vulnera inflixerint Claſſen. *ad Const. Crim. Art. 148.* sive constet de eo, qui vulnus lethale intulit, sive non Carpz. *p. 4. C. 7. def. 6. n. 1.*
240 Berlich. *p. 4. Concl. 11. n. 49.* ibiqve magno num. alleg. qvia illi qvoq; qvi conspirarunt, licet non vulneraverint, eadem hac pœna capitis tenentur. Harpr. *ad §. 5. J. d. publ. Jud. n. 101.* Carpz. *p. 4. L. 7. def. 6. n. 1.* Covarruv. *ad Clem. si furiosus 2. §. 2. n. 5.*

241 Unicum restat dubium: scil allegati Dd. loquuntur de casu, si lethale vulnus fuerit illatum, eoq; casu certum est hominem ex conspiratione facta fuisse occisum, verum nunc loqvimur de casu, in qvo nemo vulnus intulit lethale per se, sed ex omnibus vulneribus, indeqve oriente ac prorumpente hæmorrhagia vulneratus est occisus, qvæ hæmorrhagia si contineri non possit, mortem per accidens infert.

242 Verum ex dictis argumentum ducitur ad nostrum casum, nam in *Const. Crim. art. 148.* hoc casu nulla fit mentio vulneris lethalis, sed ex *arg. d. art.* colligitur, qvod illi qvoqve capite sint plectendi, qvi conspirarunt in necem innocentis, licet eundem non percusserint, hinc necessario seqvitur; ergo multo magis illi tenentur, qvi innocentem ex conspiratione, tot tantisqve vulneribus, licet
243 in se non lethalibus confecerunt, ut tandem animam efflaverit, nec distinctio Vulneris in se & per accidens lethalis

halis, nulla tamen hominis culpa concurrente, ad dolo-
sos & conspirantes spectat homicidas, Gail. *L. 2. obs. 109*
n. 10. Carpz. *Qu. 25. n. 13.* adeoqve nec prodest qvod tot vul- 244
neribus sauciatus, hæmorrhagia curabili mortuus fue-
rit, sed sufficit, qvod tam diu conspirantes innocentem
vulneraverint, ut vel ipso momento, vel antequam ei
suppetias ferre quis potuerit, homo mortuus sit, Et hanc
sententiam in terminis defendunt Menoch. *Cas. 362. n. 15.*
Farin. *Qu. 96. n. 37.* & Joseph. à Sesse *Dec. Arrag. 103. n. 10.*
Harpr. *ad §. 5. J. d. publ. iud. n. 109.* ibi: (*Nisi forsan armo-*
rum genus occidendi animum arguat.) Quod scil. qvoties
liqvido constat vulnerantes habuisse animum occidendi,
vulneratusque ex pluribus vulneribus per se non lethali-
bus mortuus sit, omnes puniri debeant pœna ordinaria,
qvamvis singuli lethaliter non vulneraverint, Hic tamen
animus ex solis armis colligendus non est, sed liqvido
probandum, qvod in necem occisi conspiraverint.

Imo permulti sunt Doctores, qui etiam in posteriori 245
membro nostræ distinct. si scil. plures, in rixa casuali
unum vulneraverint, & licet singula vulnera lethalia,
non fuerint, attamen omnia simul juncta mortem attu-
lerint, omnibus percutientibus ac vulnerantibus pœnam
imponunt ordinariam, qvorum agmen ducit Bartol. Pa- 246
ter practicantium *ad. d. l. si in rixa ff. d. Sicar. n. 10.* ibi:
quando nullum vulnus apparet mortale, sed vulnera omnia
erant mortalia simul juncta, in specie tamen non apparet cu-
jus ictu mortuus sit, tunc omnes puniuntur de homicidio, quia
omnes occiderunt. Bartol. sequitur Carrer. *in pract. Tr. 3. tit.*
d. Homicid. §. 4. n. 4. Covarr. *in Clem. Si furiosus 2. d. Ho-*
micid. part. 2. §. 2. n. 4. vers. quarta constituitur species Go-
mez. *Tom. 3. var. res. cap. 3. n. 36. vers. secunda conclusio in fin.*

Damhaud. *pr. rer. crim. cap.* 75. *n.* 2. Et juxta hanc ſententiam pronunciatum fuit 16. Jul. 1608. referente Joſ. à Seſſe *Dec. Arrag.* 103. *pr.* Idqve ex ſequentibus fundamentis:

247 Quia 1 certum eſt vulneratum ex plurimis illis vulneribus eſſe mortuum Covarruv. *d. l. n.* 4. idqve ut ſupponimus, ſine ulla alia hominis culpa concurrente, ergo adeſt ipſum corpus delicti, ad hæc adeſt 2. animus occidendi, hic enim ex armis lethiferis & ipſa percuſſione præſumitur *l.* 1. §. 3. *ff. ad L. Corn. d. ſicar.* Præterea 3. Sibi invicem in occidendo auxilium tulerunt, auxiliatores vero eàdem qva reliqvi delinqventes pœna tenentur Jul. Clar. *in pr. Crim §. fin. qu.* 90. Carpz. *qu.* 25. *n.* 13. & 18.

248 Deniqve 4. Hæc opinio expreſſis nititur textibus *l. Item Mela* 11. §. *ſed ſi plures* 2. *ff. ad L. Aquil.* ibi: *quod ſi non apparet, omnes quaſi occiderint, teneri*, qvo etiam facit *arg. l. Ita vulneratus* 51. *in fin. ff. eod.* ubi rejicitur ſubtilis illa diſputandi ratio, qua ſtatuitur: cum omnes fecerint, verum eſſe: neminem feciſſe.

249 His tamen poſthabitis & verior & receptior eſt ſententia, qvod hoc caſu omnes extraordinariè puniendi *Menoch. d. A. J. Q. L.* 2. *Caſ* 362. *n.* 14. *ſeqq.* Theodor. *coll. crim. cap.* 7. *aph.* 6. *n.* 49. *caſ.* 6. Harpr. *ad §.* 5. *J. d. publ. jud. n.* 109 Berlich. *P.* 4. *Concl.* 11. *n.* 30. Gilhauſ. *in arbor. jud. crim. C.* 2. *tit. d. homicid. n.* 21. *verſ. quintus.* Carpz. *Qu.* 25. *n.* 41. *ſeqq.* Ratio

250 eſt, quod non conſtet, cujus ictu perierit vulneratus, adeoqve hic caſus in *Conſt. Crim. Art.* 148. ſub. fin. ibi: Und man möchte keinen wiſſen / davon Er verletzt worden wehre / continetur, juxta Carpz. *qu.* 25. *n.* 43. Eademqve opinio in regno Arrag. tandem prævaluit, atque homicidis exilium perpetuum dictitatum fuit teſte Joſeph. à

Seſſe

Seſſe. *Dec. Arrag. 103. n. 9.* Cum par ratio videatur cum eo, ſi unum ſit vulnus lethale, ſed certo non conſtet, quis illud intulerit Seſſe *d. l. n. 13.*

Contraria diluuntur & quidem 1. negatur, certum 251
eſſe ex cujus vulneribus ſit mortuus Harpr. *d. l. n. 109.* Carpz. *d. l. n. 44.* Poſſet enim primi vulnus extra omne periculum eſſe, niſi reliqui etiam vulneraſſent, & contra. Ad 2. repono; ex armis lethiferis colligi animum occidendi, ſi vulnus per ſe fuerit lethale, alias non, qvia tam deliberatus animus occidendi non adeſt in eo, qvi in rixa ad arma prolabitur, quam in eo, qvi hominis vitæ inſidiatus eſt. Lubens tamen largior, ſi in rixa ſubito ſubor- 252
ta, liqvido conſtet de animo occidendi, qvod tunc qvoqve pœna obtineat capitis, qvæ ſingulis imponenda, ſi ſinguli in ipſa rixa conſpiraverint in mortem innocentis v. g. Si omnes & ſinguli clamaverint; *interficite, interficite, occidite*, ſic enim etſi caſualiter convenerint, omnes tamen animum occidendi habuiſſe, clare demonſtrant Berlich. *p. 4. Concl. 11. n. 55.* Tertium dubium reſolvitur 253
in *Conſt. Crim. Art. 148.* Quod de auxiliatorum pœna Prudentes conſuli debeant, ergo regulariter auxiliatores eadem pœna non tenentur, Harpr. *ad §. 5. J. d. publ. jud. n. 103.* niſi acceſſerit propoſitum, & tractatus delinqvendi Carpz. *qu. 22. n. 31.* Vel niſi liqvido animus occidendi & in auxiliatore demonſtrari poſſit. Quartum ſua ſponte corruit, qvia *dd. LL.* Loqvuntur de L. Aqvil. non de lege Cornel.

Hactenus perſpicue ſatis demonſtravimus, qvid ju- 254
ris ſit, ſi plures plura vulnera per ſe non lethalia intulerint, nunc ſeqvatur *poſterior caſus*, ſi unus atqve idem homicida innocentem permultis vulneribus, qvorum tamen nul-

lum per se à medicis lethale judicatur, occisus fuerit?
255 Certe si animo deliberato, innocentem occidendi, eum aggressus sit, extra controversiam, pœnam capitalem dictitandam esse censemus, qvia adest animus occidendi clarus & perspicuus, constat qvoqve ex cujus vulneribus homo sit mortuus, ergo juxta *C. Crim. Art. 148.* pœna or-
256 dinaria subeunda. Atqvi instas, deficit vulnus per se lethale; repono; nec id in deliberato homicida unqvam desideratur *in Const. Crim.* ut vulnus inflictum per se sit lethale
257 Major dubitatio suboritur, si quis sine deliberato & callido animo, armis tamen lethiferis alicui plurima inflixerit vulnera, qvorum perse nullum lethale, cumulata tamen, sine hominis alterius culpa, mortem attulerunt, an ordinaria an extraordinaria coercendus est? Inter JCtos altum de hoc casu silentium, an ergo & nos sileamus? minimè; sed in difficilioribus qvoqve, etiam
258 sine Magistro præeunte, vires sunt periclitandæ. Primo certum, qvod omnes illi, qui plures percutientes hoc nostro casu, capitis damnarunt, hunc qvoq; inquisitum, qvi solus illa plura vulnera intulit, carnifici esse subjecturos, cum eorum rationes in præsenti casu fortius stringant.
259 Secundo illi quoque Doctores, qvi plures percussores ex unica illa ratione pœna extraordinaria dimiserunt, quia certo non constat ex qvorum percussorum vulneribus homo mortuus sit, in præsenti casu, capitis supplicium facillimè pronunciabunt, qvia constat ex cujus vulneribus illatis homo mortuus sit.
260 Quibus tertio ipsa *Const. Crim.* suffragatur *d. Art. 148.* qvia nihil plane refert, an unum vulnus fuerit per se lethale, an plura vulnera fuerint per se non lethalia, qvæ tamen propter freqventiam, insignem hæmorrhagiam,

atqve

atque dolorem mortem attulerunt. Quo facit opinio D. Amman. aliorumque *vid. n. 230.*

His tamen nihil motus contrarium verius existimo 261
ac censeo, pœnam capitalem dictari non posse illi, qvi animum deliberatum occidendi non habuit, si medici nullum vulnus per se lethale pronunciaverint. Qvia recepta in praxi sententia, qvod qvoties animus dolosus ex ipsis armis elicitur, tot. qvoqve vulnus desideretur per se lethale, adeoqve hæmorrhagia, quæ reprimi potuisset, ad accidentia mortis refertur. Ad hæc nemo ho- 262
minum dicere & certo affirmare poterit, pluribus vulneribus non lethalibus affectum, ex solis vulneribus fuisse mortuum, potuit enim ira, terrore, aëre, aliisqve infinitis causis esse mortuus, ira vero, terror, metus, aër &c. vulnus per accidens faciunt lethale, ut supra probatum, nec certa regula poni potest, qvot vulnera per se & sua natura non lethalia, mortem afferant, cujus rei, vel unicum 263
afferre sufficiat exemplum, ex act. Hafn. Medic. *V. 2. obs. 91.* ubi D. D. Kölichen Physic. Hafniens. refert: qvod prædo simulans sitim aqvæ vitæ, ancillam tot cultri ictibus sauciaverit, qvot ejulatus ancilla edidit, numero XXIII. qvo nomine decollatus, rotæ, in altum erectæ, impositus fuit, superstructo parvo patibulo & affixo cultro furti & cædis indicibus, qvo tanti facinoris memoria extaret. Interea ancilla à Dn. Kölichen & chirurgo, ex illis vinginti tribus vulneribus curatur, ejusqve vita, Deo benedicente, conservata fuit. Hinc facile patet vulnera externa plurima, si 264
neutrum per se sit lethale, mortem non afferre necessario, sed per accidens, fateor quidem augeri periculum, nec diffiteor; mortem facillimè provocari posse tot vulneribus, verum & hoc defendo, certo constare non

posse, an ex his solis vulneribus non lethalibus, an alio superveniente symtomate sit mortuus. Si vero medici sine dubitatione pronunciant, qvod ex tot vulneribus non lethalibus necessario, vel ut plurimum mori debeat, licet omne humanum consilium, in auxilium vocetur, ad ordinariam homicidii pœnam deveniri potest.

366 Cas. XIX. Maxima difficultate laborare videtur. Si scil. vulneratus, hæmorrhagia non lethali, moriatur, sine ulla tamen hominis culpa, qvia medicus præsens esse non potuit, Wenn sich der Mensch todt gebluhtet / ehe man ihm zu hülffe kommen können. Plures enim haud dubiè vitam recepissent, nisi defuissent, qui subito symtomati, tum maximè sanguinis profusioni peritam manum adferre potuissent Pechlin. *in Ephemer. Vuln. thor.*

267 *art. 2. comment. §. qvemadmodum.* Finge aliqvem extra urbem in sylvis, pratis, vel hortis fuisse vulneratum, ut hæmorrhagia insigni, non tamen lethali, mortuus sit, anteqvam ad urbem deferri & chirurgi copia haberi potuerit, finge in civitate alicui venas vel arterias in brachio fuisse laceratas, chirurgum vero vel medicum absentem fuisse, wenn eben kein medicus oder Balbier zu Hause gewesen. Vel fingeramum venæ vel arteriæ majoris in femore vel brachio, tanta vehementia hæmorrhagiam profudisse, ut chirurgi, licet ex templo vocati, & præsto fuissent, vulneratum tamen ferè exsanguem & mortuum invenerint, & hinc ei suppetias & medicas

268 manus ferre non potuerint? Qvi ex hæmorrhagia vulneris moritur, re vera ex vulnere moritur, inqvit Dn. D. Bohn. *in renunc. vuln. pag. m* 111. Qvia hæmorrhagia & vulnus se habent ut effectus & causa. Et supra vulnus diximus lethale, si medicas manus, propter situm non

ad

admittat, qvid vero refert, an ſitus medicamenta reſpuat, an ſanguinis felociſſimus curſus chirurgi manus non expectet.

Miminit ſimilis cujuſdam caſus Dn. Struv. *Diſſert. crimin. 6. th. 6.* qvo Titio novem vulnera, in campo, Cajus inflixerat, qvorum neutrum quidem per ſe fuerat letha- 269
le; qvoniam vero *chirurgus tam cito, ob diſtantiam loci, ab oppido, non poterat vulneranti adeſſe, & remedia adhibere ſalutaria, ob copiam ſanguinis effluentem mortuus eſt Titius,* Ecce ſola hæmorrhagia, in ſe qvidem non lethalis, ex eo 270
tamen lethalis, qvod impoſſibile fuerit, chirurgum citius advocari potuiſſe, & tamen Cajo vulneranti pœna dictitata fuit extraordinaria à Facult. Jenenſi Juridica, te. ſte Excell. Dn. Struvio. *d. l.*

Cujus verba, qvia ad prælentem caſum apprimè 271
faciunt, integre adducere non piget. *Quamvis autem,* inqvit Dn. Struv, *moraliter certe impoſſibile fuit, iſtum vulneratum ſervari; nihilominus ob ſolam hanc rationem, quod vulnera haud fuerint lethalia, non gladii, ſed fuſtigationis pœna à Facult. Jurid. fuit Cajo dictata, Dubito profecto, an hæc ſit mens ſanctionis criminalis, quod ſcil. ejuſmodi caſu, quo propter vulnus inflictum, neceſſario quis mortem obiit, ac illud, poſitis illis circumſtantiis, ipſi actui vulnerationis, ratione loci, temporis, aut perſonæ vulneratæ conjunctis, non potuit perſanari, à pœna ordinaria percuſſor ſit immunis, quandonec chirurgo, nec vulnerato ulla imputanda venit culpa. Optandum ſane eſſet, ut Imperiali interpretatione, ille articulus declareretur* &c. Hiſce certe verbis haud obſcure fatetur, in uſu rerum forenſium latis exercitatus Dn. Struv. Caſus præcipue *hoc cap.* collectos, maxima laborare difficultate, ita ut qvandoqve non tam ex ſolida, ſed tantum

tum ex recepta ratione, casus decidendi sint, opinamur tamen maximam tolli difficultatem, si homicida, qui ex improviso ad arma prolapsus, distinguatur, ab eo, qvi animo deliberato & præmeditato alium occidendi, aliqvem invasit. Qvoad hunc consentio cum B. Dn. Struvio, non qvoad illum, Qvæ in præsens plenius excutere non
273 vacat. Paucis tamen rationes lustrandæ, ex qvibus facult. jurid. Jenens. hoc casu pœnam fustigationis & non capitis imposuerit, scil. recepta JC torum opinio, qvod in homicidio, sine insidiis commisso, reqvirantur & arma lethifera & tale vulnus, qvod arte medica curari non potest. Cum vero medici dicant ejusmodi vulnus, qvod in se non fuit lethale, sed propter hæmorrhagiam & medici absentiam tale factum, lethale esse per accidens, JCti hac in parte, medicorum asserta seqvuntur, pœnam-
274 qve extraordinariam imponunt. Medicos autem absentiam medici, inter fortuita vulneris referre, vel inde patet, qvod medici non ex magna effusione sanguinis, sed ex qualitate & natura partis vulneratæ de mortalitate statuant Zach. *Qu. med. legal. Lib. 5. Tit. 2. Qu. 6. n. 13. in fin.*
275 Et huc facit elegans illud ampliss. Facult. Medic. Hallens. Resp. de dato den 3. April. 1695. ibi: Denn das Haupt-Werck absolutæ lethalitatis vulnerum, bestehet eigentlich darinnen / das die Wunde oder deren unumgänglicher oder unmittelbahrer effect, als hæmorrhagia oder interceptio usus indispensabilis organi vitalis oder beides/durch keine Menschliche-Kunst oder Mittel zuhindern oder zu restituiren / und wird dabey zuförderst supponiret/wenn auch gleich würcklich/ solche Mittel zur gnüge verhanden wehren / so sie nun bey ein oder andern Patienten nicht zur Hand / wird solche absenz vernunfftig pro re fortuita &

ta & accidentali geachtet / und einfolglich / das vulnus per accidens lethale genennet / dergleichen exempel ein vulnus arteriæ ad carpum seyn kan / welches per absentiam oder ignorantiam chirurgi, mehr alß einmahl hæmorrhagiam lethalem nach sich gezogen / da es doch von sich selbsten von solcher consideration nicht ist;

Jungatur resp. Facult. Medic. Lipsiens. d. 13 Jan. 1624. 276
ibi: Weil sich auch ein Mensch v. g. aus denen Adern / die sonst mit grossen Nutz geschlagen und eröfnet werden / wegen unterlassener oder versäumter Verbindung verbluhten kann. Amman, *medic. crit. cas. 18.* & huc deniqve facit limit. 2. Carpz. qvam refert, *Qv. 1. n. 63.* ibi: *Fallit hæc opinio, quando ex percussione NB dolosa, quæ tamen fit,* ABSQVE ANIMO OCCIDENDI, *homicidium non per se, sed accidens sequitur, veluti si vulnus non est lethale, nihil ominus tamen vulneratus,* vel ob defectum curæ, *vel ob Symtomata accidentia moriatur.* Eandem sententiam approbat. Hahn. *ad W. Tit. ad L. Corn. d. Sicar. n. 9.*

XX. Et ultimus hujus capitis casus sit, si Mevius 277
Titium baculo vel pugno tanta vehementia percusserit, ut percussus prostratus fuerit, decidendo vero caput lapidi vel pedamento mensæ, tanta violentia, illiserit, ut fracto cranio, & cerebrum & cum eo vitam effuderit, an vulnus per se, an per accidens lethale illatum credis? Certe Medici ex illisione tam violenta, vulnus per se ju- 278
dicabunt lethale, qvia cerebrum, ceu pars principalis, profundè læsum. D. Welsch. *in ration. vuln. lethal. pag. m. 25. & seqq.* Bohn. *d. renunc. vulner. pag. m. 228. seqq.* Verum 278
qvid JCti? divortium faciunt, atqve statuunt, mortem ex percutientis facto, per accidens, fuisse secutam Bechman. *in Comm. ff. Tom. 2. part. 2. Ex. 9. n. 93. obs. pract. 1.* ibi:

ſin autem res dubia eſt, an non magis ex illiſione capitis v. c. in menſam, lignum, vel lapidem, tunc ſaltem pœna extraordinaria afficitur. Carpz. *Qu.* 1. *n.* 63. & *Qu.* 3. *n.* 40. Hahn. *ad W. tit. d. ſicar. n.* 9. ubi Carpz. opinionem; qvam habet *d. n.* 63. verbotenus refert, ac probat, adjecta ratione hac: *Iſthæc enim oriuntur ex percuſſione ſeu actu illo illicito per accidens.*

280 Dicta illuſtrat caſus Façultati Lipſienſi anno 1625. oblatus, cujus meminit Carpz. *Qu.* 3. *n.* 41. ſcil. ruſtico cuidam Schönfeldenſi, in cella vinaria, manu contracta, ſive pugno, Titius colophos aliqvot infregerat, ex qvibus ruſticus in terram prolapſus ſubito mortuus fuerat:

281 Qvamvis enim NB. *ſecundum judicium Medicorum percuſſio ſive ictus illatus pro lethali haberetur*, adeoqve & qvidam ex dominis Scabinis pœnam gladii dictandam eſſe exiſtimabant; Attamen, qvia percuſſus *NB. in fulcrum menſæ prolapſus erat*, unde dubium oriebatur, an non magis ex capitis in lignum illiſione, qvam percuſſione ruſticus animam exhalaſſet, relicta ſententia ſeveriori tan-

282 dem fuit concluſum, delinqvèntem hoc caſu virgis cæſum in perpetuum relegandum eſſe, hæc Carpz. *d. l.* ex qvibus liqvet, etiam in caſu dubio, qvando non conſtat, an ex percuſſione immediata, an ex lapſu, vulnus illatum fuerit lethale, mitiorem eligendam eſſe ſententiam.

Plures adduci poſſent caſus v. g. ſi qvis alteri prope

283 ſcalas ſtanti, talem porrigat colophum, ut alter præcipitando ſcalas cervicem fregerit? Vel ſi qvis in ponte adverſarium tali excipiat alapâ, ut alter in flumen præcipitatus aqvis ſuffocatus fuerit? Sed ex dictis deciſio erit facilis, hinc ſine ulteriori mora ad *cap. IV*,

CAPI

CAP. IV.

DE HÆMORRHAGIA PER ACCIDENS LETHALI, ACCEDENTE CULPA HOMINIS.

SUMMARIA.

Hoc capite culpa hominis, vulnus lethale reddens, consideratur. n. 1. seqq.

Culpa seu dolo vulnerantis vulnus fit lethale, si armis usus sit venenatis. - - 4

Aliqui medicorum negant arma veneno tingi posse. 6.

Alii exiguum effectum huic veneno tribuunt. - - 7.

Alii vero maximum. 8.

JCtorum interest, certum quid determinari - 9.

Cui ergo fides habenda? 10.

In jure postrema approbatur sententia, quod venenum exterius admotum occidat. - 12.

Quod historiæ Gentium probant. 13.

Diversitas tamen veneni attendenda. - - 14.

Morbi invectibo transferri possit 15.

Hoc casu vulneranti rotæ dictatur supplicium. 16. seqq.

Si curiositatis gratia arma veneno fuerint tincta & postea in rixa homo læsus sit, pœna obtinet gladii 19. seqq.

Si vulnerans vulneratum ex hæmorrhagia in animi deliquium incidentem, sine ope reliquerit, quid juris? 22. seqq.

Hæmorrhagia vasorum umbilicalium per accidens sæpe fit lethalis 26. seq.

Si mater vasa hæc non deligaverit fustigari potest. 29. seqq.

Si animo occidendi, in loco solitario peperit, capite punienda. 33. seqq.

Mater infantem animo occidendi deponens capite punitur 35. seq.

An mater ultimo supplicio afficienda, si constet de animo occidendi, non vero de vitâ infantis? 38.

Affirm. probatur. 39. seq.

Contraria proponuntur 42. seqq.

& rejiciuntur - 44.

Mulier quæ infantem in latrinam effundit gladio punitur. 45.

Ut & partum exponens 46.

Et partum abigens. 47.

Hinc capitis quandoq; dictatum fuit supplicium, licet de corpore delicti non constiterit certo. 48.

Aliud statuitur, si de animo occidendi non constet. 49. seq.

Nam mater in somno infantem opprimens plane non punitur 51.

Ad mortem mater damnata est, cum infans fracta cervice & cranio repertus fuisset. 53.

Quoties vulnus culpa vulnerati fit lethale, tot, liberatur vulnerans, 55. seq.

Qualis

Qualis tulpa I. est, si debito tempore vulnus deligari non curaverit. 58
Quod in omnibus venis laceratis desideratur. 59.
Ut & in vulneribus capitis 60
II. Si medico se commiserit imperito. 62.
III. Si deligationes rescindat. 64.
Licet in somno fecerit. 66.
IV. Si vulneratus aëri se commiserit 67.
V. Si quieti se non dederit. 69.
VI. Si Medicamentis uti noluerit 71.
VII. Si à cibo & potu abstineat. 73
VIII. Si nimio cibo ac potu se injurgitaverit. 76,
IX. Si cibo utatur prohibito 78.
Quo pertinet potus frigidus. 79.
X. Ira vulnus superveniens. 80.
XI. Si Veneri litaverit, quod aliquando sanat morbos. 81.
Sæpius damnum mortemque affert 82. *seqq.*
XII. Si vulneratus in cachinnos solutus sit. 84.
Regula subjicitur generalis. 86.
His casibus vulnerans arbitrariè punitur. 87.
Et non gravius, quam si mors secuta non esset 88. *seq.*
Culpa adstantium vulnus sit lethale 92.
An obligati sint, ut succurrant 93.
An puniri possint. 94. *seq.*
An idem juris si tumultum excitaverint. 96. *seq.*
Culpa medici lethale; quod tale non erat. 99.
Varia Exempla. 100.
An culpa probanda 103.
Quis de culpa judicet. 104.
Qua pœna teneatur medicus. 105.
Quæ vulnerans. 106. *seq.*
Quid si periculosum fuerit vulnus 107.
Dicta ad pharmacopolas pertinent 109.
Quædam dubia remissivè. 110.

1. FIrmatâ, in plerisq; casibus, sententiâ: quod homicida extraordinaria pœna dimittendus sit, si vulnus per accidens lethale mortem attulisset, licet nulla hominum culpa incusari posset, parum dubii supereſſe videtur, in *Cap. hoc* 4. in qvo supponimus, vulnus per se non lethale, acce-
2. dente culpa hominis, factum fuisse lethale. Cum tamen varietas circumstantiarum infinita sit, levis vero circumstantia, in casibus specialioribus, grave qvandoqve dubium, in casus cujusdam decisione, movere possit, brevibus & hanc doctrinam priori jungere constitui.

Culpam

Culpam autem, qvæ vulnus per accidens reddere po- 3.
teſt lethale, committit vel ipſe vulnerans; vel vulneratus; vel alii adſtantes, interqve eos, præcupue medici & chirurgi, ad vulnus ſanandum conſtituti & vocati. de ſingulis ſummariè qvædam adducam.

Culpa vel potius dolo vulnerantis, vulnus in ſe qvidem ſatis leve, lethale fit, *ſi vulnerans armis uſus fuerit venenatis*, præmittenda vero videtur quæſtio præjudicialis, an arma veneno ita tingi poſſint, ut vulneratus, ejusmodi armis læſus, exinde mori poſſit? Medicorum ſi introſpicias doctrinas, deprehendes, Patres experientiſſimos acriter ſibi contradicere, qvidam enim huic veneno exiguum vel nullum tribuunt effectum, alii vero maximum & lethalem. Sic Dn. D. Amman *in prax. vulner, lethal. Dec. 5. Hiſtor. 8. pag. 384. obj.* (4) inqvit, *tamen arma poſſunt intoxicari ſuccis herbarum venenatarum, Reſp. Neg: nam plumbo non intimè miſcentur hi ſucci &c. quicqvid igitur dicunt de intoxicatione telorum, non videtur habere fundamentum in chymicis vel ſcientia naturali, citra ſuſpicionem præſtigiarum*, ejusdem opinionis fuit Baccius, *in prolegomen. venen. cap. 14. venena exterius admota, nullum habere effectum*, teſte Zach. *Qu. med. leg. L. 2. T. 2. qu. 11. n. 3.* Alium Med. Lipſienſ. Doct. ac Prof. Dn. Gottfried Welſch *in ration. vulner. leth. judic. cap. 16. pag. m. 168.* producamus, qui *periculoſum magis*, judicat, *venenum, quod intus aſſumtum, quam quod exterius admotum & applicatum eſt, quod enim aſſumitur, à viſcerum calore ſtatim, vel pro virulentiæ ſuæ natura, ac conditione, tardius reſolvitur, & ad partes nobiles abire dicitur; Extra vero admotum, habitum prius penetrare, vaſa petere, & ſic demum, longo ſatis viarum tractu, ad partes oportet ire principes, qua ipſa tamen viarum*

4.

5.

6.

7.

distantia fieri facile potest, ut vel ipsum venenum vires deperdat suas, vel tamen vis ipsius reliqua à natura sponte effringatur ac pereat. Ex quibus vulnera, venenatis armis, externis solis partibus inflicta, periculosa quidem, simpliciter vero lethalia esse, non existimo. Cum vulneri ab armis infectis inducta venenata qualitas, vel externis statim corrigi possit remediis &c. vel fomes ipsius NB. unico etiam interius exhibito restingui potest Alexipharmaco &c.

8. At alium ejusdem illustr. Academiæ Lipsiens. Medic. D. & Prof. Dn. D. Joh. Bohn *de renunc. vulner. pag. 73.* audiamus *qui spectat huc*, inquit, *vulnerũ venenositas, ab instrumentis lædentibus venenatis impressa, quorum qualecunque & qvomodocunque ab his illatum, lethale*, ubi in seq. late contrariam sententiam impugnat. Ejusdem opinionis fuit Zach. *Qu. med. Legal. Lib. 5. Tit. 2. Qu. 6. n. 11.* ibi: *nisi constaret arma ipsa fuisse venenata, tunc enim hæc præsumtio esset adeo urgens, ut ex se ipsa sola facere posset, evidentissimam conjecturam, qvod vulneratus ex vulnere mortuus sit, etiam cæteris omnibus conjecturis & præsumtionibus in contrarium facientibus.* Bohn. & Zach. sententiam confirmat qvoqve Hildan. *de sclopetar. curat. cap. 2. in operib. pag. 953.* ibi: *non nulli detestandi homines pernicioso, lethaliq; veneno globos inficiunt, adeo, ut minima quoque vulnera evadant lethalia.* Agnoscit vero Zach. *L. 2. Tit. 2. qv. 11. n. 7.* hujus doctrinæ certitudinem necessariam esse, ad justitiam legitime administrandam: *Quamobrem jure videndum est*, inqvit, *qui modi venenandi possibiles sint, qui verò non, ut JCtos, qui Justitiam administrant, in absolvendis insontibus, ac sontibus condemnandis errare non contingat.* Verum in tanto Medicorum dissensu, dum qvidam Hippocrates statuit: arma veneno inficì non posse; qvidam Galenus unico medicamento

propi-

propinato ejusmodi vulnera sanare contendit. Qvidam Celsus vero ejusmodi vulnera absolute vel ut plurimum lethalia pronunciat, quibus sanandis vix ferrum & ignis sufficiat, qvi tamen omnes cõetanei sunt Doctores, ejusdemqve facultatis collegæ, cui fides habenda? cujus asserto homicidæ absolutio vel condemnatio superstruenda? Certe mirari licet, telum veneno tinctum, per levem admodum venarum ac arteriarum laceratione, atram accelare mortem, qvia exigua veneni quantitas illiniri poterit armis, minor adhuc qvantitas vulneri inhærere poterit, ut ut enim hodierni medici, experimentis jucundis demonstrent, vel sola acida, venis injecta, animalibus vitam eripere; diversa tamen ratio in vulnere armis venenatis facto, nam ejusmodi vulneri nihil injicitur, sed hæmorrhagia potius, venis & arteriis laceratis, mox se effundit, qva ergo ratione venenum, si qvod vulneri inhæreret, sanguini effluenti se insinuare poterit. Hæc tamen ut & Hildan. *in sclopet. curat. cap. 2. in oper. pag. 95 4.* opinionem; *veneni scil. vim in spirituoso maximè consistere vapore, extemploque per venas, arterias & nervos tribus partibus nobilioribus, cordi nimirum, hepati, cerebroq; communicari, non autem crassa corporeâq; ratione efficacem esse &c.* aliis rimanda & explicanda reliqvo. 11. 12.

Ex Galeni nunc ad Ulpiani castra transeo, hic *l. Item si obstetrix 9. §. 1. ff. ad L. Aquil. si quis*, inqvit, *per vim vel suasum medicamentum alicui infundet, vel ore, vel clystere, vel sic eum unxit malo veneno, lege Aquilia eum teneri.* Ecce Ulpianus venenum ungendo, & sic exterius inficere posse, credidit, accedunt tot gentium historiæ, qvi tela veneno tingi posse, comprobant, vid. latè celeberr. Grot. *d. jur. bell. & pac. Lib. 3. cap. 4. §. 16.* qvi *§. 15. & 16.* ex his colligit 13.

ligit, veneno hoſtem occidere non eſſe contra jus na-
14. turale, bene tamen contra jus gentium. Taceo Zach. *Qu. med. Leg. L. 2. Tit. 2. qu. 2. n. 17.* Statuere, hominem per omnes lenſus venenari poſſe, ad quem lectorem curioſum remitto. Credo tamen veneni diverſam qualitatem diverſiſſimum quoque producere effectum, experimentis enim comprobant qvidam medici venenum viperinum in exigua quantitate epotum nec homini, nec brutis aliquid damni afferre, quod vel medicamenta viperina teſtantur, ſi vero exiguum inſtrumentum, veneno viperino tinctum, laceret vel leviſſime venas vel arterias animalis, brevi temporis ſpatio animal exſpirare, teſte Franciſc. Redi *in Tr. de Viperis.*

15. Verum quid multa! nonne quotidiana docet experientia, veſtes & indumenta, morbo Gallico, vel phthiſi laborantium inficere? nonne veſtes peſte necatorum inficiunt? imò ipſa ſacra teſtatur pagina: veſtes, pelles, ipſosque domorum parietes, lepra fuiſſe contaminatos.

16. Firmata ergo theſi: arma veneno tingi, & iis leve alias vulnus inflictum occidere, qværo qvæ pœna immineat homicidæ, qui armis venenatis hominem occidit Et ex Conſt. Crim. *Art. 130.* reſpondeo: rotæ ſupplicium illi, qvi arma veneno tinxit, hominis vel occidendi, vel vulnerandi cauſa, dictitandum eſſe, nec diſtinguo hoc in caſu, an arma inficiens habuerit animum occidendi, an vulnerandi, qvia arma venenis tingendo, alium finem habere non poteſt, quam proximum graviter lædendi. Secuta ergo ex tali vulneratione morte, licet levis fuerit hæmorrhagia, de omni eventu tamen, ſuo veneno cauſato tenetur. Generaliter enim C. Crim. *d.*
17. *Art. 130.* loqvitur, de eo, qvi alterum veneno lædit

Wer

Wer jemand durch Gifft oder Venen an Leib oder Leben beschädiget etc. ex qvibus verbis simul liqvet, juxta C. Crim. eum quoqve capite plectendum esse, qvi corpus tantum hominis veneno læsit, licet vulneratus armis venenatis non sit mortuus, sed arte medica restitutus *d. art.* ibi: an Leib beschädiget. Cui sententiæ subscribit Class. *ad art.* 130. *pag.* 471. Ant. Matth. *de Crim. Lib.* 48. *tit.* 5. *cap.* 5. *n.* 3. Berlich. *part.* 4. *Concl.* 26. *n.* 13. Contrarium tamen defendit Carpz. *Qv.* 21. *n.* 42. *seq.* qvi verba nostri articuli 130. an Leib oder Leben copulativè capit, ut sensus sit: der einen an Leib und Leben beschädiget/qvod pluribus excutere non vacat, remitto tamen lectorem ad Farinac. *Qv.* 122. *n.* 18. *& seq.* ubi, hanc qvæstionem pro & contra pluribus excussit. 18.

Verum qvid si fingamus Titium arma sua veneno tinxisse non animo lædendi hominem, sed curiositatis, & veritatis experiundæ causa, præter intentionem vero, in rixam cum Mevio incidisse, eumqve armis his venenatis leviter vulnerasse, ex qvo tamen vulnere Mevius læsus obiit, an rotæ obtinebit suplicium? Resp. gladii pœnam me judice dictandam esse, puniendumque Tit. ut alium homicidam, qvi in rixa armis usus est lethiferis, quibus adversario tale intulit vulnus, ex quo per se & immediatè mortuus est. Cum enim sciret Titius arma sua veneno esse infecta, scire quoqve poterat & debebat, ex levi venarum læsione, his instrumentis, procurata, hæmorrhagiam seqvi lethalem, adeoque indirecta hominem occidendi voluntas ultimum ei affert supplicium, modo hoc casu, clarè & perspicué ex relatione medicorum constet, vulneratum ex lege artis servari non potuisse. Rotæ vero supplicium vel ex eâ ratione 19. 20. 21.

one in gladii pœnam convertendum esse censemus, quia veneno usus non est ad hominem lædendum vel occidendum, adeoqve deficit deliberatus animus veneno, vel ex insidiis occidendi, in rixa enim impetu magis qvam deliberato consilio, armis usus est venenatis *l. 1. §. 3. ff.*
22. *ad L. Corn. d. sicar.*

Alius casus, quo culpa vulnerantis, hæmorrhagia redditur lethalis, est, si vunerans videat, Mevium à se vulneratum, ex gravi hæmorrhagia, in animi incidisse deliquium, ei vero in solitudine constituto, nullas ferat suppetias, sed liberrimum hæmorrhagiæ cursum, ad ultimum usque spiritum, relinqvat, an ultimo afficiendus
23. est supplicio? Affirm. ex eo probabilis, quod hic homicida ex duplici capite homicidii reus sit, primo quod ipsum vulneraverit, secundo, qvod ipsi suppetias non tulerit, qui enim periclitantem non liberat, cum liberare posset, culpæ reus est *c. dilecto 6. d. Sent. excomm. in 6to. c. quanta 47. X. d. sent. excomm. c. 7. & 11. C. 23. qv. 3.* Negativa vero fundamentum suum qværit in vulnere non per se, sed per accidens lethali.

24. Placet dist. an vulnerans, animo doloso, vulneratum sine auxilio, relinquat, & pœna obtinet ordinaria, quia adest animus occidendi, & homo re vera occisus reperitur, sine ulla alia hominis culpa concurrente, ergo de vulneris lethalitate solliciti non sumus. Si vero vul-
25. nerans videat, vulnerati hæmorrhagiam vel animi deliquium, & terrore percussus, fugæ se det, vulneratumque sine auxilio relinqvat, pœnam obtinere extra ordinariam statuimus, quia nullus adest dolus, vel animi propositum, hominem occidendi, quod vero suppetias non ferat, culpæ adscribendum, quæ capite non punitur *l. in lege 7. ff. ad L. Corn. d. sicar.* Huc

Huc merito refero hæmorrhagiam valorum umbilicalium, culpa vulnerantis, in recens natis, lethalem; testantur enim Medici ex vasis umbilicalibus non bene deligatis, mortem facillime tenellis accersi, duo exempla quorum alterum Altenburgi Anno 1672. alterum v. d. 8. Octobr. 1678. ibidem contigit, recenset Dn. D. Jacob Wolff. *in Ephem. Germ. Dec. 2. ann. 7. Obs. 193.* qvo brevi- 27.
tatis studio lectorem remitto. Idem confirmat Resp. Medic. Facult. Lipsiens. d. 20. Maj. 1686. ibi: **daß 1. weil des** Medici **und** Chirurgi **Bericht nach/ die Nabel-Schnur gar nicht verbunden worden/ Dem Kinde/ wenn es lebendig auff die Welt kommen/ das Geblüthe/ samt denen** Spiritibus vitalibus **dadurch entgangen/ und es also nothwendig sterben müssen** D. Amman *prax. Vulner. lethal. Dec. 6. hist.* 8. 28.
Simile Resp. Facult. Medic. Lips. refert. D. Welsch. *in ration. vuln. pag. m. 55.* ibi: *Sic. Facult. Med. & Chirurg. Lipsi. P. P.* **und hatt sich befunden/ daß dem Kinde die Nabel-schnure/ an der** Regione umbilicali, **nicht allein also kurtz abgeschnitten/ daß man den überrest kaum mit den Nägeln fassen können/ sondern auch dieselbe gantz nicht verbunden gewesen/ dahero denn das Geblüth** per venam & Arterias umbilicales **haufig verflossen/ und bey so gestalter Verwarlosung sterben müssen.**

Si ergo mater infantis sui vasa umbilicalia non 29.
deligaverit, infans vero ex hæmorrhagia mortuus sit, an matri parricidæ ultimum dictitandum supplicium? Distingvo an mater habuerit animum occidendi, an non, si ex ignorantia, imperitia vel animi corporisque debilitate, infanti recens nato suppetias non tulerit, nec

vasa

vasa umbilicalia debitè deligaverit, pœna obtinebit fusti-
30. gationis vel relegationis. Et fustigationis qvidē pœna, quia mulier scit vel scirè debet; qvod partum occultando & in loco solitario edendo, eundem facillimè possit occidere, maximè cum constituta sit in re illicita partum occultando vid. Finckelth. *obs. 86. n. 20.* Capitis vero sup-
31. plicium cessat, quia deficit animus infantem occidendi, sine quo, nec homicidium dolosum, nec parricidium esse potest. Equidem dissentire, & gladii pœnam hoc
32. nostro casu statuisse videtur Theodor. *coll. crim. cap. 7. n. 22. in fin.* ibi: *tunc eidem, accedentibus aliis adminiculis, ut puta minori ætate, & testimonio vitæ antea probe actæ, & summa anxietate animi & dolore, præ quo ferè nescierit, quid fecerit, gladii pœnam duntaxat dictavimus Mens. Novemb. 1637.* His verbis Theodor. statuere videtur, quod mulier, quæ in loco solitario peperit, & infantē occidit, gladio sit punienda, licet præ nimia animi anxietate, & dolore nescierit, quid fecerit. Verum hæc Theod. sententia, tunc demum
33. procedit, quando mulier, animo infantem occidendi, partum, ejusque editionem celaverit, extra hunc casum culpa, vel parricidium præ nimia animi anxietate commissum, gladii pœna affici non potest. Berlich. *P. 4. Concl. 7. n. 26.* ubi sic à Witteberg. responsum esse refert.

34. Quot, verò mater eo animo se in locum solitarium contulit, ut infantem occideret, ac postea vasa umbilicalia præcisa, debite non deligaverit, ut infans hæmorrhagia expiraverit, gladii pœnam imponendam esse censeo, qvot enim constat de animo occidendi partum, tot non refert quocunque modo liberos occiderint Carpz. *qv. 9. n. 46.* causam mortis enim immediatam, animo occidendi præbens, occidisse censetur *l. nihil interest 15. ff. ad L. Corn. d. Sicar.*

Simile

Simile exemplum occurrit in exponente infantem, si enim exponens habuerit animum occidendi, & infantem in loco solitario reposuerit, in qvo mortuus fuerit, pœna obtinet gladii Theodor. *Coll. Crim. cap. 7. Apb. 6. n. 74.* Hahn, *ad Wesenb. ad L. Corn. de sicar. n. 14* Harpr. *ad § 5. J. d. Publ. Jud. n. 98.* imo stricto jure, ordinaria parricidii pœna imponi potest Theodor *d. l. n. 74. in fin.* quod statuunt Finckelth. *obs. 86. n. 5. & 6.* Carpz. *qu. 10. n. 8* Quid vero refert, an infantem, animo occidendi exponas, an in loco solitario animo occidendi parias? 35. 36.

Nec obstat qvod vulnus vasorum umbilicalium non sit per se lethale, adeoqve homicidam ab ordinaria liberet, sæpius enim inculcavimus, qvod in deliberato homicidio, respiciatur ad eventum, non vero ad vulnus per se lethale, qvod vel sola expositio infantis probat Hahn. *ad Wes. tit. ad L. Corn d. sicar. n. 14.* Verum qvid si mulier excipiat, partum in lucem editum non fuisse vivum, qvia vocem non emisserat? casus hic, proh dolor! Rostochii hoc ipso anno 1696. contigit, qvod ancilla M. V. B. partum non tantum celaverit, & in loco solitario ediderit, sed etiam cultello fauces infantis aliqvot ictibus præciderit, qvæ sui defensionem in eo qværebat, qvod sibi non constet, an infans eo tempore, qvo cultello eundem jugulaverat, vixerit, siqvidem nullam vocem ediderit, cum ergo dubium oriretur, an parricida, torturæ sit subjicienda, juxta claram Const. Crim. *Art. 131.* an vero ad mortem, sine tortura condemnari possit, & acta ad Facult. hanc Juridic. Rostoch. hoc nomine transmissa fuissent; amplissima Facultas gladii pœnam decernendam judicavit, quia inquisita confitebatur (1) se animum occidendi habuisse. Sie wehre eine viertel stunde mit denen Se- 37. 38. 39.

dancken ümgegangen/das Kind zu ermorden (2.) Se paulo ante partum, motum infantis sensisse, partus vero in utero vivus, vivus qvoqve præsumitur in lucem editus (3.) ex-
40. perientiss. Dn. Physicus attestabatur infantem omnibus suis numeris fuisse perfectum, (4.) Ut ut partus fuisset debilis, mater tamen dolosa præcisione gulæ, omni auxilio debili infanti ferendo, eum dolose privaverat Maurit. *Consil.*
41. *Cbilon.* II. *n.* 16. Et qvia deniqve (5.) in loco solitario animo occidendi pariens, pari pœna digna judicanda, cum muliere, partum in loco solitario exponente. Maxime cum (6.) non levis esset suspicio, qvod mulier dura, qvæ sine ejulatu, puerperii dolores perferre potuit, torturam qvoqve sit elusura, qvod ex depositione ejus colligere datum fuit: Sie wolte gern alles ausstehen/wenn sie nur mit dem Leben davon kähme add. Maurit. *d. Consil.* II. *n.* 17.

42. Duo restabant dubia, alterum ex *C. Cr. Art.* 131. quæ hoc casu torturam decernit, alterum, qvod nondum liqvido constaret de corpore delicti, an scil. infans tempore resectæ gulæ, adhuc fuerit in vivis, qvod factum plenius per torturam inqviri poterat, hinc aliqvot præjud. in terminis, confirmat Joh. à Sande *in Dec. aur. Lib.* 5. *Tit.* 9. *def.* 3. in simili casu, torturam fuisse dictatam, qvam si sustinuerunt parricidæ, pœna sustigationis vel relegatio-
43. nis dictitata fuit. Verum *d. art.* 131. Loquitur de casu, si mulier neget *se animo occidendi* partum celasse, & in solitudine partum edidisse, de qvo animo si constet, nec tortura, nec plenior in vitalitatem desideratur inqvisitio,
44 sed sufficit partum ante editionem fuisse vitalem, clam vero & animo occidendi fuisse editum, sic enim sufficit ad pœnam capitis imponendam, & animus occidendi & eventus, qvocunqve etiam modo, partus exspiraverit.

Sic

Sic mulier quæ animo occidendi, latrinæ insidens, partum in eam effudit, gladio punitur, licet constare non possit, an tunc temporis, qvo partus decidit in latrinam, adhuc vivus fuerit Classen. *ad C. Crim. Art.* 131. *infin.* Carpz. *qu.* 11. *n.* 34. ibi: *Attamen cum hoc casu vix certo constare possit, fœtum viventem ex utero matris prodiisse, vel etiam ex ejectione in latrinam, & non aliis de causis obiisse.* 45.

Sic partum exponens, ut à bestiis dilaceretur, capite punitur, licet non constet, qua ex causa infans expositus fuerit mortuus, an inædia, an aëris intemperie, sed sufficit, quod infans dolosè expositus, mortuus sit. *vid. n.* 35. & clarius exemplum in eo qvi partum abigit jam vitalem, hic ultimum subit supplicium Const. Crim. Art. 133. *Perez. ad. C. tit. ad L. Corn. d. sicar. n.* 3. *seq.* Hahn. *ad W. Tit, d. extracrd. Crim. vb. qvæ data* Carpz. *p.* 4. *C.* 4. *d.* 2. Struv. *Exerc.* 48. *th.* 79. licet certo non constet, eo momento, qvo veneno fuit abactus, partum adhuc fuisse vivum, qvod probe expendit Papinian. nostri seculi Carpz. *qu.* 11. *n.* 19. ibi: *cum mille modis fieri possit ut partus in utero mortuus fuerit, quem tamen ipsamet mater adhuc vivere existimet.* 46. 47.

Sic gladii pœna Lipsiæ imposita fuit parricidæ Mens. April. 1595. qvæ infantem bestiis devorandum objecerat, propter animum sceleratissimum, licet de corpore delicti certo non constiterit, teste Carpz. *Qu. 9. n.* 61. ibi: *In qua tamen sententia adjudicata fuit delinquenti pœna gladii, eo, qvod non certo constiterit, de corpore delicti.* 48.

Imo Berlichius *p.* 4. *Concl.* 7. *n.* 30. Mulierem ultimo subjicit supplicio, si partum celando & clam partum edendo, eum præter intentionem necaverit, Berlich. *d. l.* ibi: *Unde fit, si mulier ad integrum suum bonorem conservandum, fœtum suum, graviditatemque & partum celet, mulierque sola, remotis aliis mulieribus, in* 49.

puerperio laborat, & partus, seu infans in doloribus puerperii exspirat, tunc enim licet vel maximè mulier fœtum suum non occidere, sed studiosè educare voluisset, quia tamen ex hac occultatione & clandestino actu dolus & animus præsumitur &c. mulier pœna ordinaria est subjicienda, etiamsi manifesto con-

50. *stat, partum ab ipsa muliere non esse enecatum.* Hanc tamen Berlichii sententiam in his terminis, qvando constat mulierem clam parientem non habuisse animum occidendi, merito duram vocamus cum Classen. *ad const. Crim. Art.*

51. *131 pag 480. in fin.* Qvia dolus præcipuum parricidii, si de pœna capitali agatur, est reqvisitum, nam mater, infantem, in somno opprimens & occidens sine, omni pœna dimittenda est Harpr. *ad §. 11. J. d. Injur. n. 13* Excell. Dn. Præses. *in Syn jur. priv. tit. d. privat. delict. n. 28.*

52. In forcioribus vero terminis nobis concludere licebit, quot. probatur, qvod mater animo occidendi partum in loco solitario edidit, & partus reperitur occisus tot. non refert, qvomodo fuerit à matre occisus, qvia mater dolose, partum conservandi remedia, respuit. Carpz. *qu. 11. n. 28.*

53. Deniqve huc pertinet Resp. Dn. Maurit. *Consil. Chilon. 11.* Ubi gladii pœnam dictitat mulieri, qvæ uterum dolose celaverat, & partum clam ediderat, cum vero infans fracta cervice, & macerato cranio mit zerbrochenen Halß-

54. Knochen / und zermalmeter Hirn-Pfanne repertus fuisset, defensionem in eo quæ sivit, qvod partus mortuus fuerit editus, nihilominus Dn. Maurit. non torturam, sed gladium dictitandum esse censuit. suamqve sententiam præjudicio Theolog. & JCtorum Wurtenberg. de anno 1618 confirmat. *d. Consil. n. 11. & 12.* Qvæ omnia fortius stringunt, si ex actis appareat, inquisitam animum deliberatum occidendi habuisse add. Theodor. *n. 31.* alleg. & explicatus

Mem.

Membrum ſecundum hujus capitis agat de culpa 55.
ipſius vulnerati. dequa ſi conſtet, & vulnus per ſe
& ſua natura, non judicetur lethale, vulnerans de occiſo
teneri non poteſt Carpz. *Qu. 26. n. 7.* Farin. *Qu. 127. n. 16.*
n. 87. ſeq quia hoc caſu, ultima potiſſimum culpa attendi-
tur *l. Huic ſcripturæ 15. §. fin. ff. ad L. Aqvil.* Is vero ulti-
mam culpam admittit, qui negligens eſt circa curam
l. Si ex plagis 52. pr. ff. ad L. Aquil. id enim non obſervavit,
qvod obſervare debebat & poterat *L. qui occidit. 30. §. fin.*
ff. d. t. Hinc ex Auguſtin. refert. Boër. *Dec. 313. n. 20. quod* 56.
ille dicatur ſe ipſum occidiſſe, qui præcepta medici, obſervare
non voluit add. Gail. *L. 2. obſ. 111. n. 22.* Cum ergo in *l. qvod*
ſi nolit. 31. §. 12 ff. d. Ædil. Edict. culpæ adſcribatur vulnerati,
ſi Medicum vel plane non, vel imperitum adhibuerit adjun-
gere licebit; vel *ſi præceptis medici ſe morigerum non geſſe-*
rit, d. l. 52. pr. qvibus caſibus neceſſario ceſſat pœna capi-
tis Carpz. *d. qu. 26. n. 7.* quia vulnerans hoc caſu pro vero ho-
micida haberi non debet Carpz. *d. qu. n. 11.*

Hinc admodum ſollicite defenſores accuſatorum inqvi- 57.
rere ſolent, in vitam vulnerati, qvomodo ſe poſt vulnera-
tionem geſſerit, *Et nunc dicendi campus ſe exhibet, ſi perqui-*
rere vellem, quibus caſibus vulneratus dicatur culpam admiſiſſe,
& quibus non. Sed pauca, & fere remiſſivè adjungere lubet.

Primo hæmorrhagia perſe non lethalis mortifera fit, 58.
ſi vulneratus venas vel arterias laceratas juſto tempore
deligari non curaverit *l. 31. §. 12 ff. d. Ædil. Edict.* aut intem-
peſtivè ſeu tardius chirurgum vel Medicum advocave-
rit Boer. *Dec. 323. n. 24.* ibi: *ſi tarde adhibuit medicum quam-*
vis peritum, imputabitur infirmo Cœpoll. *Conſ. 28. n. 24.*
Dn. Bohn. *in renunc. vuln leth. pag. m. 130.* Omnes vero
venæ arteriæve laceratæ, celeriorem reqvirunt deligati- 59.

onem, propter hæmorrhagiam continuam, cui si in tempore obex non ponatur, animi deliqvium, aliaqve gravissima seqvuntur symtomata, qvod vel venæ sectiones
60. probant, ut his immorari operæ pretium non existimem, id tamen monendum, vulnera capitis, licet prima fronte, videantur satis exigua, nunqvam esse contemnenda, ex-
61. emplum suppeditat Hildan. *cent. 1. Obs. 21.* Plura Bonet. *in anat. pract. Lib. 4. sect. 3. obs. 4.* qvi hinc §. *9. in schol.* ex Phil. Salmuth. *Cent. 1. obs. 12.* monet. *Hac igitur observatione Chirurgi notent, ut nullus capitis percussiones, etiamsi partes cerebrum continentes illæsas invenerint, leves judicent &c.*

62. II. Culpa vulnerati inculanda, si medico se commiserit imperito, per text. expr. *l. Quod si 31. §. culpam 12. in fin. ff. d. Ædil. Edict.* ibi: *Si non adhibuit medicum, ut sanari posset vel malum adhibuit*, cum in effectu idem sit, adhibere nullum Medicum vel adhibere imperitum *d. l. 31. §. 12.* ibiqve Goth. *lit. B. & C.* Perez. *ad Cod. tit. de his quæ ut indign. n. 3.* Modo notoriè fuerit imperitus, & peritior accersi potuisset *arg. d. l. 31, §. 12. in fin.* ibi: *sed culpa sua.* v. g. qvod ex avaritia imperitum adhibuisset, ne peritiori lautius salarium offerre necessum haberet *arg. l. 1. §. 10 ff. d. extraord. cognit.*
63. ibi; *proque advocati facundia.* Medicinæ Doctor tamen non præcise desideratur Boer. Dec. 323. *n. 20.* Cum scientia non sit restricta ad gradum Doctoris. Quoties tamen vulneratus noluit à medicis curari, sed potius se incantari fecerit, toties vulnerans non tenetur de pœna capitis Græv. *Lib. 2. Concl. III. n. 14.* Boer. *d. n. 20. pag. 824.* Jac. Ayrer. *de Homicid. volunt. part. 2. n. 68.* & ab his longa serie alleg. Dicendi locus hic foret, qvid sentiendum de cura magnetica, von der Waffensalbe/ sed tempus non patitur.

64. III. Gravissima vulnerati culpa probatur, si empla-

stra-

ſtra, & deligationes venarum & arteriarum reſcindat, atqve hæmorrhagiam recrudeſcere faciat, wenn Er die Wunden wieder auffreiſet / das ſie von neuen bluhten/ſic enim de novo ſe ipſum vulneraſſe cenſetur, qvod priori vulneratori imputari non poteſt *l. Item Mela.* 11. §. 3. *ff. ad L. Aquil.* Cum certum ſit vulnus iteratum tardius ſanari 65.
Boer. *Dec.* 323. *n.* 9. *in Med.* ex qvacunqve etiam cauſa, ſive curioſitatis ſive impatientiæ prætextu deligationes chirurgicas ſuſtulerit.

Nec diſtinguo, qvoad effectum liberandi homici- 66.
dam, an ſtudio, an vero in ſomno, & præter intentionem deligationes debite factas, removerit, utroqve enim caſu, culpa vulnerati, vulnus per ſe non lethale fieri poteſt lethale, adeoqve ab ordinaria liberabitur vulnerans; & hoc eſt qvod innuit Damhaud. *in pr. crim. cap.* 77. *n.* 19. *Si vulneratus ſe male cuſtodiverit* Boer. *Dec.* 323. *n.* 20. Ayrer. *de homic. volunt. p.* 2. *n.* 67.

IV. Si vulneratus aeri ſe committat, diverſus enim 67.
aër. diverſum motum ſanguinis concitare poterit, Böer. *Dec.* 323. *n.* 20. Ayrer. de *Homic. volunt. p.* 2. *n.* 68. Farin, *Qu.* 127. *n.* 98. Præcipue autem in capitis vulneribus caput
contra aeris inclementiam probe muniendum; exempla 68.
lege in Bonet. *in Anat. pract. Lib.* 4. *ſect.* 3. *obſ.* 4. §. 10. *in Schol.* Et Dn D. Bohn. *in renunc. vulner. ſect.* 2. *cap.* 1. *pag. m.* 174. & D. Amman. *in Medic. critic. caſ.* 46. *diſcurſ.* §. *per accidens* ibi: *cum tamen nihil gravius ſit vulneribus, aëre externo, ſtatim enim alterantur* ſie lauffen an.

V. Si qvieti ſe non det wenn er nicht ſtill lieget/qvi 69.
es enim maximè deſideratur ad vulnus coaleſcendum; hinc vena facilius curatur qvam arteria, in hac enim pulſus impe-

70. impedit quietem. Ad malum regimen qvoqve refertur, si vulneratus post vulnerationem, corpus saltando vel choreis moveat. vid. resp. Medic. penes Amman. *in Medic. critic. cas.* 46. *pag.* 245. ibi. (5) etliche Stunden darauf gesprungen und getantzet.

71. V.. Si medicamentis à medico perito præscriptis uti noluerit. Medicina enim Dei est beneficium, nullusque prudens eam contemnit Ecclesiast. *cap.* 38. *vers.* 4.

72. Licet ex naturali aversione exhorrescat medicamenta Germ. Er kann gantz und gar nichts einnehmen / hæc enim vulnerati constitutio vulnerantem gravare nequit, vid. *cap.* 3. *n.* 98. *seqq.*

73. VII. Si vulneratus à cibo & potu abstineat insignem committit culpam, imo dolum, & propricida fit, si pro-

74. posito se occidendi & adversarium in vitæ periculum ducendi à cibo potuq; abstineat weñ er sich will todt hungern Cujus rei per elegans exhibet exemplum Bonet, in *Anat. pract. Lib.* 4. *sect.* 3. *obs.* 29. §. 1. *in schol.* ubi inter alia refert,

75. post quartum diem famem amplius molestam non esse, qvod Dn. Bonet. defendendum relinqvimus. Si ex alia coris constitutione cibum fugiat, accidentis nomine venit.

76. VIII. Culpa vulnerati sat gravis, si nimio cibo vel potu, ad ebrietatem usqve se injurgitet Damhaud. in. *pr. crim. cap.* 77. *n.* 19. *Farin. Qu.* 127. *n.* 95. *Gail. L.* 2. *Obs.* III. *n.* 22.

77. Vel Tabernas frequentet Damhaud. *d. l. add. plur.* Dn. D. Bohn. *& in renunc. Vuln. pag.* 128. *& Boer. Dec.* 323. *n.* 21. *quin.* 20. huc rectè refert si vulneratus flumen vel mare intret.

78. Huc spectat. IX. si cibo potuqve utatur prohibito Finckelth. *observ.* 61. *n.* 26. *Farin. Qu.* 127. *n.* 54. *ibique alleg.* Felin *in cap. presbyterum n.* 3. *Column.* 2. *pr. vers. & istud. X. de homic.* multum enim confert diæta in cibo ac potu, ad sanitatem

nitatem vel reſtaurandam vel deſtruendam. Qua occaſione moneo, à potu frigido abſtinendum eſſe, teſtantur enim Ephem. German. non uno in loco, ex potu frigido mortem fuiſſe ſecutam *Dec. 3. ann. 1. obſ. 98. & Dec. 2. ann. 9. obſ. 39* Et Dn. Sommer. in Ephem. *d. ann. 9. obſ. 20.* notat duos ſtudioſos, ex potu frigido, mortem ſibi contraxiſſe. 79.

Ira vulnerati vehemens X. hæmorrhagiam per accidens reddere poteſt lethalem, ſic Hildan. *Cent. 1. obſ. 18.* docet. *ex animi quadam commotione vehementi, arteriam nuper vulneratam, poſtmodum autem pene ſanatam, denuo magno cum periculo ruptam fuiſſe & obſ. 17. d. cent. 1.* juvenem, cui caput vulneratum & cranium fractum; ex ſola ira in febrim recidiſſe: & mortuum fuiſſe, plura ex *cap. 3. n. 140. ſeqq.* huc referenda. 80.

XI. Culpa vulnerati, hæmorrhagia vel vulnus lethale fieri creditur, ſi Veneri ſe dederit Boer. *Dec. 323. n. 20.* Ayrer. *d. homic. volunt. p. 2. n. 68.* Farin. *Qu. 127. n. 93. ibique alleg.* Blanc. *in pract. in 1. part. defenſ. §. iis ſic præmiſſ. n. 120. verſ. concumbere* Eqvidem aliqva extant exempla morbi vim coitu fuiſſe luperatam, ſic teſtantur, Ephemer. Germ. *Dec. 1. ann. 9. obſ. 155.* Venere tertianam fuiſſe curatam imo & qvartanam Ephem. Germ. *D. 2. ann. 10. obſ. 28.* ut & epilepſiam *Dec. 1. ann. 1. obſ. 86.* Imo ipſam denique peſtem, qvod jucundis & elegantiſſimis verſibus deſcribitur in Ephem. Germ. *Dec. 1. ann. 2. obſ. 188.* Raro tamen tam felix ſeqvitur eventus, freqventius animi corporisqve debilitas, morborum acumen, & qvandoqve mors ſeqvitur coitum. Cujus rei teſtis Hildan. *Cent. 4. obſ. 26.* ibi: *actum autem Venereum cauſam mortis hujus viri, profecto optimi & pii fuiſſe, plane mihi perſuaſum habeo.* Et in 81. 92.

vulneribus nervorum actum venereum maximè periculosum esse, testatur idem Hild. *Cent.* 1. *obs.* 22. &
83. in vulneribus capitis Venerem esse lethalem probat Hild. *C.* 1. *obs.* 19. imo plurima exempla legere licet in Ephemer. Germ. *Dec.* 1. *ann.* 9. *obs.* 159. illorum, qvi in ipsis amplexibus venereis mortui sunt, plura suggerit Tiraquell. *ad l.* 15. *connub. Gl.* 1. *n.* 27. qui in seq. plurima jucunda, ad præsentem materiam facientia exhibet.

84. XII. Nec adeo levis est culpa, si graviter vulneratus risui nimio indulgeat, teste Hildan. *Cent.* 1. *obs.* 23. *in an not. in fin.* ibi: *Hinc perspicuum fit, risum in omnibus vulneribus* (magnis scil.) *periculosum esse, ac in nervis vulneratis dolores acerrimos, & convulsiones, in venis & arteriis NB. hæmorrhagiam excitare. Monitos igitur velim chirurgos & adstantes, ne vulneratos facetiis & jocis ad risum provocent immoderatum.*
85. Exemplum refert Idem Hild. *d. obs.* 23. plura ex *cap.* 3. *n.* 190. peti possunt, qvo brevitatis studio me remitto. Dictaqve paucis
86. complector hac regula: *quoties vulneratus se præceptis medicis non præstat morigerum, toties culpa sibi contraxisse censetur lethalitatem* Ayrer. *homic. volunt. p.* 2. *n.* 68. Finckelth. *obs.* 61. *n.* 26. Farin. *Qu.* 127. *n.* 92. Gail *L.* 2. *Obs.* 111. *n.* 22. Equidem plura restant dubia, an scil. in locis secretis vulneratus inspectionem denegare possit, cujus rei exemplum suppeditant Ephem. Germ. *Dec.* 2. *ann.* 3. *obs.* 157. item an incisiones necessarias, propter maximos metuendos dolores respuere, vid. Farin. *Qu.* 127. *n.* 92. vel deniqve membrorum abscissionem denegare possit? sed temporis ratio horum dilucidationem respuit.
87. Pœna autem vulnerantis, dictis casibus, est extraordinaria, seu arbitraria, temporalis scil. relegationis. uti pronunciatum Lipsiæ M. Decemb. anno 1620. Carpz. *Qu.* 26.

26.n.17. Vel relegationis perpetuæ uti Lipsiæ pronunc. M. Aug. 1625. Carpz. *d.l.n.18.* Seu ut clarius loqvamur, *quamcunq; pœnam meretur sola vulneratio, si mors secuta non fuisset, ea & hoc casu dictitanda, si mors ex culpa vulnerati secuta sit.* per *l.30.§.fin.ff.ad L. Aquil.* qvæ lex cum de actione civili loquatur, fortius stringit in causa criminali Carpz. *qu.26.n.8.* 88.

Nec obstat vulgatum juris axioma: qvod infelix eventus, augeat pœnam extraordinariam *arg. cap. sicut ex literarum 20.X.d.homicid.* & *l.6.C.ad.L.Jul.d.V.publ.* excell. Dn. Præses *in Synopf. jur. privat. tit. d. privat. delict. n.6. in fin.* In eventu enim infeliciori, magis exitus, qvam voluntas & cogitatio inspicitur Dn. Stryk. *d. Jur. sens. Diss. 10. cap. 6.n.45.* Hoc enim axioma intelligendum, si sine ulla hominum alia culpa superveniente infelix seqvatur eventus, de qvibus casibus *cap.3.* pluribus egimus, si vero culpa vulnerati accesserit, ultima attendi debet vid. *n.55. hoc. cap.* 89. 90.

Qvæ enim penitus per accidens eveniunt, ex opere aliqvo, non imputantur agenti Covar. *ad clem. de homicid. part.2.§.1.n.1.* Carpz. *Qu.26. n.12.* Licet in actu versetur illicito Harpr. *ad §.5. J.d.publ.jud. n.91.* 91.

Consideratâ culpâ vulnerantis, & vulnerati, restat tertium membrum de culpa adstantium & præcipue medicorum & chirurgorum, ad curam vocatorum, differere. Culpa adstantium vulnus in se non lethale, fit lethale, si venam vel arteriam vulneratam videant, & hæmorrhagiam, cum possent non coërceant. Naturalis enim illa cognatio, qvæ inter omnes intercedit homines, obligat adstantes, ut in periculo constituto suppetias ferant, eumqve liberent *arg.l.ut vim.3.ff.d.J.* & *J.* 92.

Hinc peccant, qvi invasum sine suo periculo libera- 93.

re poteſt, ſi non liberet *cap. Quanta præſumtionis 47. X. d. ſentent. excomm.* Qui enim peccare non prohibet, cum poteſt & debet, jubet, nec diſſimulatrix patientia ſocietatis occultæ ſcrupulo carebit Gonzat. Tellez. *in Comm.*
95. *ad d. cap. 47. ad vb. obviare.* Merito ergo adſtanti, qvi hæmorrhagiam vulnerati non repreſſit, cum eam cohibere poſſet, extraordinaria pœna imponenda Covar. *in cap. peccatum d. R. J. in 6to. part. 2. §. 3. n. 4.* Mev. *ad J. Lub. part. 4. Tit. 8. Art. 6. n. 13. ibique all.* Vaſqv. & Goth. *ad l.*
96. *50 ff. d. R. J. lit. mihi M.* per clar text. *in d. cap. 47.* ibi: *facientes & conſentientes pari pœna plectendos canonica cenſura condemnat, eos etiam delinquentibus favere interpretans, qui cum poſſint, manifeſto facinori deſinunt obviare.* Qui enim prohibere potuit, & non fecit, tenetur *l. Scientiam 45. pr. ff. ad L. Aquil.* Quæ qvidem de Dominis loqvitur, & de his infinitæ leges concordant, idem tamen in qvovis extraneo obtinere tradit Goth. *ad l. 50. d. R. Jur.* & Mev. *d. l.*

97. Eademq; pœna extraordinaria expectat eos, qvi ſciunt in certo loco aliqvem graviter vulneratum decumbere, nihilominus tumultu & inſigni ſtrepitu vulnerati qvietem turbant, ſic Hildan. *Cent. 1. obſ. 20.* refert: *patri vulnerati pueri, qui œnopola fuit, prohibitum fuiſſe à medicis, ne permitteret pulſare tympanum, tubas aliave inſtrumenta in ſua domo, at patrem ne gle&is admonitionibus permiſiſſe pulſari tympanum, prope cubiculum decumbentis pueri, qui inde mortuus eſt. Hinc patrem hujus rei cauſa ad magiſtratum delatum graviter, nec injuriâ, multatum fuiſſe* eHild. *d. l.* qvam ſententiam plene probamus, add. Ephem. German. *Dec. 2. ann. 7. obſ. 46.* ibi: *celebrantur nuptiæ dumq; tam tenere enutritus infans exaudiebat forte fortuna inconſuetum ſonum tubarum & tympanorum, perterrefactus, epilepſia derepente corripitur, & mortiq; ſubjicitur. Paucos poſt annos*

eodem

eodem fato, iisdemque circumstantiis alius obibat infans eadem teneritudine educatus. Ex qvib9 eluceſcit vis tumult9 moleſti

Culpa deniqve Medici vel potiſſimum chirurgi hæ- 99.
morrhagia in ſe non lethalis, fit lethalis, ſi non agat, qvæ in artis potentia ſunt Dn. D. Bohn. *in renunc. vulner. pag. 130.* ibi: *ſi hæmorrhagiam vel non, vel intempeſtivè ſupprimat, &c.* & pag. 127. ex Fieno refert Dn. Bohn. *chirurgo mortem imputandam eſſe, ſi ſuâ ignorantiâ non ſciviſſet fluentem venam compeſcere. & inde ſecuta fuiſſet magna debilitas vultus, pallor &c.*

Exempla refert. Bonet. *in anat pract. Lib. 4. ſect. 3. obſ.* 100
18. ibi: *Anno 1606. quidam muſquetum exoneravit, crepante tubo, pars ejus ſex longa pollices ſeſquidigitum lata, per narem ultra auriculam ſub pericranium ipſi adacta; quod cum chirurgus, etſi ſenex, non animadvertiſſet, narem genamque contiguam conſuit, ferro ſecante intus relicto; dum illi medetur, quoties faciem tangit, ſanguis plurimum, ferro acutiſſimo carnem ſcil. ſcindente, emanabat. Nono die mortuus eſt,* 101
ſectis à chirurgo futuris, cum illum raſorii apicem frangentem viderem, admotis digitis, ferrum adduco. Hunc educto ferro, curari potuiſſe certiſſimum eſt, inſano enim dolore, & NB. nimia hæmorrhagia enectus eſt. Hoc exemplum docet, nec ſenectutem ignorantiæ & incuriæ chirurgorum obicem ponere, nec hæmorrhagiam ex lege artis ſemper reprimere. Graviſſima qvoqve culpa chirurgorum no- 102
tanda, ſi medico præſenti & curæ præſidenti morem non gerant, ſed ſuo indulgeant ingenio, cujus rei notabile exemplum ex Phil. Salmuth *Cent. 1. obſ. 12.* refert. Bonet. *in Anat. pract. Lib. 4. ſect. 3. obſ. 2. §. 5.* ubi in fine ſubjicit: *Reus itaque ob malam Tonſorum curationem abſolvebatur* add. Ephem. Germ. *Dec. 1. ann. 3, obſ. 199.*

103 Verum cum qvisqve præsumatur bonus, & in officio diligens, culpam medici vel chirurgi allegans ejus probatione oneratur, nisi probetur imperitia medici Farin. *Qu.* 127. *n.* 91. *in fin.* Imo Doctores statuunt, vulneratum præsumi ex negligentia aut imperitia medicorum mortuum esse, si vulnus non fuit lethale Boër *Dec.* 323. *n.* 7. Farin. *Qu.* 127. *n.* 13. Carpz. *Qu.* 26. *n.* 6. Quam sententiam admitto, si agatur de pœna ordinaria vulneranti mitiganda, reprobo vero, si agatur de medicis vel chirurgis puniendis.

104 Medici vero experientissimi judicabunt de culpa, cujus incusatur medicus vel chirurgus Finchelth. *obs.* 61. *n.* 10. Qui *n.* 27. pluribus tradit, qvid medicus observasse debeat, si ei nulla imputanda veniat culpa add. Gail. *L.* 2. *Obs.* 111. *n.* 25.

105 Qvod si vero culpa probata sit medici vel chirurgi pœna obtinet extraordinaria *Const. Crim. Art.* 134. Gail. *l.* 2. *obs.* 111. *n.* 26. Vicent. Caroc. *d. Locat. part.* 4. *grad. de culpa qu.* 3. *n.* 9. *pag. m.* 164. Jul. Clar. §. *Homicidium n.* 17. *arg. l. Illicitas* 6. §. 7. *ff. d. offic. Præsid.* ibi: *Sicuti medico imputari eventus mortalitatis non debet; ita quod per imperitiam commisit, imputari ei debet, prætextu humanæ fragilitatis delictum decipientis in periculo homines, innoxium esse non debet*, qvæ pro modo culpæ ad relegationem vel fustigationem usqve extendi potest. Carpz. *Qu.* 15. *n.* 24. Morte tamen puniri non potest *l.* 7. *ff. ad L. corn. d. sicar.* nisi dolose & ex proposito mala medicamenta propinaverit infirmo Jul. Clar. *L.* 5. §. *Homicidium n.* 17. Gail. *L.* 2. *O.* 111. *n.* 27. Desperatam tamen curam medicus impune suscipit, in qvo differt ab advocato Böer. *Dec.* 323. *n. ult.* modo prædixerit periculum & animæ curam imperaverit, per text. expr. *cap. Cum infirmitas* 13. *X. d. pœnit.*

Qvo

Qvoties vero vulnus per se & sua natura non judi- 106
catur lethale, & ex actis probatur vel præsumitur culpa medici, tot. vulnerans tantum de vulnerato, & non de occiso tenetur, Farin. *Qu. 127. n. 16.* Carpz. *Qu. 26. n. 7.* in qvo omnes conveniunt, ultima enim culpa tantum attenditur *l. qui occidit 30. §. fin. ff. ad L. Aquil. ad d.* supra *n. 15.* nec distinguo: an vulnerans habuerit animum deliberatum occidendi, an vulnerandi, nam præter animum dolosum requiritur etiam mors, sine ulla alia hominis culpa superveniens, gravior tamen extraordinaria illi imponi debet.

Nec est qvod objicias: eum qvi dolose hominem ex 107
ponte in flumen præcipitaverit, ut aqvis suffocaretur, qvi etiam re vera in aqvis exspiravit, ultimum non effugere supplicium, ex eo, qvod multi homines interqve eos, aliqvi piscatores in ripa stantes, in periculo constituto celeriter suppetias non tulerint, repono enim omne simile claudicare, nec piscatores ad homines excipiendos constitutos esse, nec æqve facile hominem ex undis extrahi, qvam venam vel arteriam deligari posse, si vero in facto supponas, hominem ex ponte dejectum, ab aliis facile servari potuisse, qvi tamen, licet à perituro implorati, ei auxilium, ferre noluerint, non alienus sum à pœna extraordinaria homicidæ imponenda *arg. d. l. 30. §. fin.*

Dicta hactenus extendimus ad casum, si hæmor- 108
rhagia vel vulnus valde fuerit periculosum, quia in dubio semper pronunciandum vulnus non fuisse mortale Ayrer. *d. Homic. vol. part. 2. n. 71.* Farin. *qv. 127. n. 20.* maximè si culpa probata sit. *d. l. 30. §. fin.* Sic enim semper dubium, an vulneratus ex periculoso vulnere, an vero ex culpa medici vel ipsius vulnerati mortuus sit, quoties vero ullum subest dubium, an vulnus mortale inflictum sit,

nec

nec ne, toties pœna obtinet extraordinaria Menoch. *d. Arb. Jud. Qu. Cas. 265. n. fin.* Alex. Raud. *d. Analog. cap. 31. n. 32.* Geil. *L. 2. obs. 111. n. 10.* Cravett. *Consil. 451. ibiq; alleg.* exempli loco adduco Relp. Eacult. Med. Lipſ. d. 6 Mart. anno 1669. So berichten wir euch hierauf/ das allerdings die contuſion, wie ſie von dem Medico und Barbier beſchrieben/ ſehr gefehrlich geweſen &c. alſo gar/ das auch der zehende alſo verletzet/ keine gewiſſe Hoffnung zur Geneſung ſich zu machen hatt/ nichts deſto weniger aber/ und weil ihr allerhand Exceſſe anführet/ ſo in malo regimine des Patienten etc. alß der Chur begangen etc. ſo iſt dieſes unſere Meinung/ daß wofern ihr die allegirte umſtände gnugſam verificiret, mehr gedachte contuſion in dieſem individuo, an und vor ſich ſelbſt nicht lethal geweſen/ ſondern gutẽ Theils/ wegen angeführten Urſachen/ ex accidenti lethal geworden. Dn. D. Amman. *in prax. Vuln. lethal. Dec. 1. Hiſt. 10.*

109 Dicta de Culpa medicorum, extra dubium, applicanda qvoq; ad pharmacopolas, qvi vetuſtate, aliove vitio corruptis medicamentis, & vulneratum & medicum decipiunt Damhoud: *pr. crim. cap. 77.* Vicent. Caroc. *Tr. locati part. 5. de culpa qv. 3. n. 13. pag. m. 164.*

110 Conſiderandæ nunc eſſent qvorundam medicorum & chirurgorum artes, qvi ſemper etiam cum de ingenio vulneris ſatis conſtat, omnia in pejus vertunt, qvo percurati vulneris major ſit gloria, & unctior merces, verum inſtituti ratio me ab ulteriori diſcurſu revocat, adeoq; nec de Trepano, aliisq; excellentioribus diſſerere conceditur vid. tamen Dn. Amman. *Med. crit. caſ. 10. & 48.* Bonet. *in Anat. pract. Lib. 4. ſect. 3. Obſ. 8. §. 9. in ſchol.* ſed in humillima gratiarum actione Deo benigniſſimo ſolvendâ, huic diſſertationi, hac vice, imponimus

FINEM.